5.6.12

Conf: de hoc Tractatu gel. Zeitungen A. 1725. n°. 14 p. 132

34958/A

42550

DANIELIS MAICHELII INTRODUCTIO AD HISTORIAM LITERARIAM DE PRÆCIPUIS BIBLIOTHECIS PARISIENSIBUS,

LOCUPLETATA ANNOTATIONIBUS ATQUE METHODO,

Qua rectus Bibliothecarum uſus & vera ſtudio-rum ratio oſtenditur; ubi & de Bibliothecariis plurimiſque Eruditis PARISIENSIBUS *hono-rifice & modeſte*, ſalva tamen ubique veritate, *diſſeritur; atque ita Peregrinantibus quoque via panditur, ad iter literarium* PARISIENSE *feliciter & cum ſucceſſu ſuſcipiendum.*

IN DUAS PARTES DIVISA.

JUXTA EXEMPLAR EXCUSUM
CANTABRIGIÆ,
Sumptibus JO. FRID. GLEDITSCHII B. FILII,
BIBLIOP. LIPSIENSIS 1721.

5,642

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRÆFATIO.

INTER *præſtantiora itineris mei literarii commoda præter utiliſſimam Eruditorum conſuetudinem, qua mihi in* Helvetia, Gallia, *& nunc in hac* celeberrima Angliæ Inſula *frui hactenus licuit, illud inprimis in felicitatis meæ parte repono, quod hinc inde tot præſtantiſſimas easque tam publicas quam privatas inveni Bibliothecas, ex quarum uſu quotidiano ulteriores qualibuscunque meis ſtudiis acceſſiones facere, pro viribus laboravi.*

Et vero quanti momenti ſit, inſtructiſſimas ejuſmodi Scientiarum officinas in promtu habere, facile exinde colligitur, quia nulla tam ſterilis doctrinæ pars datur, cujus ſolida tractatio non magnum ſubſidiorum apparatum exigere videatur. Atque eorum tum eo major apparet neceſſitas, quo vaſtioris ambitus ſunt plurimæ ex præſtantiſſimis diſciplinis, in quibus humana induſtria ſæpius occupari ſolet, qualia ſunt: ſtudium Theologiæ, Patrum, Linguarum, Antiquitatum *ſive* ſacrarum *ſive* profanarum, Hiſtoriæ Literariæ, *&c. quæ omnia inde-*

ſeſſam induſtriam, atque magnam lectionem, ac proinde amplam quoque librorum optimorum copiam deſiderant. Proinde qui ſolis ingenii viribus doctrinam ſe conſequi poſſe putant, ſe ipſos mirum quantum decipiunt; & recte hos comparat Vir egregius, J. Lockius *cum* Fortunati crumena, *quæ ſemper abunde ſuffectura credebatur, licet ei nihil unquam adderetur. Longe melius rem intellexit illuſtris quondam Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopus,* Bullus, *in cujus vita legimus, ipſum, cum in prima juventute in pago aliquo Paſtoris munus obiret, ſingulis annis in celeberrimam Academiam* Oxonienſem *ſe contuliſſe, atque ibi duorum menſium ſpatium exegiſſe, ut præſtantiores ejus loci Bibliothecas conſuleret, atque in iis dignam ſtudiorum meſſem colligeret. Commemorat id Vir Clariſſimus,* Robertus Nelſonius, *qui illuſtris Epiſcopi vitam deſcripſit, & continuo poſt recitatam hanc Hiſtoriam pulchram pro more ſuo obſervationem ſubjungit, dignam omnino, quæ huc tranſcribatur:* * It is a great misfortu-

* Verba in gratiam Exterorum latine reddita, ita habent. Magna alicujus juvenis Paſtoris infelicitas eſt,

ne.

ne to a young Clergyman, when he is confined to a Country Cure, to be diſtitute of ſuch Books, as are neceſſary to enable him to make any conſiderable advance in his ſtudies of Divinity, to which other parts of learning contribute their aid and aſſiſtance, and therefore conſequently are not to be neglected. And, if the ſolid foundation of uſeful Knowledge is not laid, and the habit of ſtudying acquired, while Men are in the prime of their days, they ſeldom make any progreſs, that will be able to diſtinguiſh them from Perſons of ordinary Attainments.

Nemo ergo æquus rerum arbiter diffitebitur, feliciter omnino cum Eruditis iſtarum regionum actum eſſe, in quibus iſtiuſmodi dantur Bibliothecæ publicæ, quos illi pro lu-

ſi officio Eccleſiaſtico in pago fungatur, ubi eorum librorum apparatu deſtituitur, quibus neceſſario indiget ad faciendos dignos in ſtudio Theologico progreſſus, cui reliquæ partes literaturæ mutuam opem præſtant, ac proinde negligi non debent. Et qui ſolida utilioris doctrinæ principia non poſuit, neque ſtudiorum habitum acquiſivit, dum in primo juventutis flore conſtitutus eſt, is raro faciet aliquos idoneos progreſſus, in quibus aliquid ultra mediocritatem appareat.

bitu adire, atque exinde uberiores ſtudiorum collectiones facere poſſunt. Nam præter inſignia literarum commoda aliud quoque cum iis conjunctum eſt, quod rem familiarem reſpicit, cui illi tali modo parcere videntur, dum e contrario, qui hiſce occaſionibus deſtituuntur, omnes libros ſuis comparare ſumtibus tenentur; quos in re literaria conſumere paucis libet, & licet quam paucisſimis. Atque iſta quidem felicitate inter alios fruuntur Eruditi in Gallia, *atque ii inprimis, qui* Lutetiæ Pariſiorum *vivunt; ubi quantus ſit Bibliothecarum apparatus, quanta in iis præſtantisſimorum librorum tum impreſſorum tum manuſcriptorum copia, niſi jam aliunde id conſtet, præſenti documento, quod de iis conſcriptum Tibi, Lector Benevole, exhibeo, ſatis, ut arbitror, edoceberis. Equidem* Ludovico Jacobo, natione Gallo, *minime aſſentior, qui* Lutetiam *ita laudibus in cœlum extulit, ut non veritus ſit, ſcribere,* * *plures ibi Bibliothecas cerni, quam in tota* Anglia,

* Tit. libri eſt: *Traité des plus belles Bibliotheques publiques & particulieres, qui ont été, & qui ſont a preſent dans le monde.*

Hiſpa-

Hiſpania, *atque* Germania; *cui audaciſſimo dicto ipſi, ut arbitror, Eruditi* Pariſienſes *non adſtipulabuntur; & recte etiam* Morhofius *illa ſeſquipedalia* Galli *verba nimio in Patriam nationem ſtudio tribuit, dum eorum Auctori vetus iſtud Proverbium applicat:* Τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τῦ παρ' ἄλλους πυρός. *Et vero ut* Hiſpaniam, *de qua mihi nihil magnopere conſtat, miſſam faciam, &* Germaniæ, *quippe Patriæ meæ, laudem aliis æquioribus judicibus relinquam; in hac certe* fortunata Angliæ inſula, *in qua jam plures menſes maximo meo gaudio multoque commodo exegi, plures & bonitate & numero excellentes* Londini, *& in duabus celeberrimis Academiis,* Oxonienſi, *atque* Cantabrigienſi, *Bibliothecas inveni, quæ* Pariſienſibus *ſi minus præferri, cum iis certe optimo jure comparari merentur. Verum de hoc alio tempore, quam nunc, differere malo.*

Interim exinde judicabit Lector, me ad librum hunc conſcribendum animo a ſtudio partium remoto acceſſiſſe, in quo & eo faciliorem ab eo gratiam me conſecuturum, confido. Quemadmodum ergo iis non accedo,

qui Bibliothecas Pariſienſes *plus juſto extollunt, ita nec cum iis facio, qui earum pretium iniquius deprimere conati ſunt. Quorum numero inprimis mihi accenſendus videtur* Scaliger, *qui, uti de plurimis rebus tenuius quandoque judicare ſolebat; ita ubi de* Bibliotheca S. Victoris *agit in Excerptis, teſte eodem* Morhofio; * *nihil in ea boni extare, contendit; in quo ipſum Regiam mediocritatis viam longisſime prætergreſſum puto; quanquam enim illa Bibliotheca in ſtudiis philoſophicis atque elegantiore literatura nihil contineat, quod illam magnopere commendet; tamen in* Theologicis *atque* Eccleſiaſticis *præclara continet monumenta, tum impreſſa tum ſcripto exarata, quod iis optime conſtat, qui* Lutetiæ *habitant, & Bibliothecam illam in rebus neceſſariis conſulere poſſunt.*

De inſtituto vero hujus mei libri, quod jam ex titulo ſatis apparet, non eſt, quod prolixe diſſeram. Introductionem *ſcribo ad* Hiſtoriam literariam de noſtris Bibliothecis, *non* Hiſtoriam ipſam, *quam Bibliothe-*

* Vid. Polyh. T. I. l. 1. c. 17.

bliothecariis Pariſienſibus *relinquo, quibus plus otii ac virium ad ornandas ſuas Bibliothecas competit. Ego, qui novem tantum menſibus* Pariſiis *commoratus ſum, ac præterea aliis quoque rebus atque negotiis diſtinebar, officio meo haud male ſatisfacturum me putavi, ſi præcipuas ex Bibliothecis noſtris Lectori delineatas ſiſterem; atque earum origines, progreſſum, ſtatumque præſentem, deſcriberem, indicatis & hinc inde quibusdam monumentis obſervatu dignioribus, plura additurus, niſi timendum fuiſſet, ne præſens liber, qui utique mea opinione longior prodit, modum plane excederet. Atque in his quidem prima hujus libri pars abſolvitur. Sequitur altera, in qua, quæ ad uſum Bibliothecarum, rectamque ſtudiorum rationem requiruntur, expono, non ea quidem omnia, ſed ſumme neceſſaria, quæque mihi notatu digniora ſubnata ſunt: non tam aliis præcepta dandi, quam talia a Benevolo Lectore, ubi meis meliora ſuppeditaverit, accipiendi cupiditate adductus.*

Et vero hujus mei inſtituti plures rationes habui. Primo ipſa rei dignitas me ad illud invitavit. Cum enim nobiliſſima Hiſto-

riæ literariæ pars ſit Bibliothecarum cognitio, rem neutiquam pœnitendam me ſuſcepturum credidi, ſi animum ad noſtras delineandas applicarem; maximè cum nemo ſit, qui ex inſtituto hactenus argumentum de ſolis Bibliothecis Pariſienſibus *pertractarit, atque illi etiam, qui obiter & quaſi aliud agendo de iis egerunt, hiſtoricam earum cognitionem minime dare viſi ſint. Ita Clariſſimus* Struvius, *in* introductione ad hiſtoriam literariam *de Bibliothecis* Pariſienſibus *quidem agit, ſed plures nominetenus tantum attingit; in quibusdam etiam a vero aliena loquitur; ut quando ex. gr.* Bibliothecam S. Victoris *inter* privatas *numerat, quæ tamen* publica *eſt, ut ſuo loco oſtendi. Fuit etiam Vir Cl. D.* Liſterus, *qui* deſcriptionem Itineris Pariſienſis *Anno 1698. ſuſcepti ederet, in qua & de Bibliothecis agit; ſed Vir Cl. illarum ortum, progreſſum, ſtatumque præſentem nullibi indicat, ac ſæpe etiam Colloquia potius cum Bibliothecariis habita, quam ipſas Bibliothecas commemorat. Alios, qui in eodem argumento verſati ſunt, ſilentio nunc prætermitto.*

Quan-

Quanquam vero id lubens profitear, me non æquali ratione de omnibus Bibliothecis iſtis diſſeruiſſe, quippe quæ ipſæ mirum quantum inter ſe differunt, neque omnes eadem obſervatione dignæ videntur: tamen, quod mei inſtituti proprium eſt, Bibliothecarum, de quibus loquor, ideam hiſtorica narratione Lectori ſiſtere, & allatis, quæ mihi occurrebant, notatu dignioribus, ad earum uſum cum recta ſtudiorum methodo conjunctum, progredi, ſi id mihi aſſumam, id fortaſſe meo quodam jure vindicare mihi poſſe videor. Atque hæc quidem prima hujus a me conſcripti libri ratio eſt.

Sequitur altera, quæ in eo conſiſtit, quod hac data occaſione Eruditis Pariſienſibus, *quorum plurimi amicitia ſua, cum apud eos agerem, me dignati ſunt, gratisſimi animi memoriam teſtari lubens volui. Et vero illos ex hoc libro paſſim intellecturos puto, quanta veneratione abſens eos proſequar, quam & ipſorum perſonis, ſalvo meo ab eorum opinionibus in Religione diſſenſu, ſubinde conſervabo. Quod autem monſtroſas Clariſſimi* Harduini *de Antiquitate ſententias attinet, eas, cum occaſio ita ferret,*

ret, laudare non potui, neque in eo arcanum aliquod Lectori aperuiſſe mihi videor, cum ipſe Vir Cl. ſcriptis eas divulgarit. Cæterum ejus doctrinam atque eruditionem in aliis locis dignis laudibus efferre non dubitavi.

Tertio hoc meo inſtituto exteris, atque inter hos iis inprimis, qui Lutetiam *proficiſcuntur, inſervire volui, in quorum uſum multa particularia hinc inde annotavi, quæ non niſi uſu atque experientia hauriri poſſunt, ut ex hujus libri lectione conſtabit.*

His rationibus motus, ad hunc librum conſcribendum acceſſi; in quo num finem meum ſim aſſecutus, ab æqui Lectoris judicio pendebit.

Mirum autem fortaſſe quibusdam videbitur, quod inter præſtantiores, quarum hic deſcriptionem exhibeo, Bibliothecas, Bignoniam *omiſerim, quæ tamen ſine dubio in illarum numerum referri meretur. Verum in promtu eſt ratio; nam cum* Pariſiis *agerem, illa Bibliotheca pro ingenti pecuniæ ſumma* Excellentiſſimo Domino Law *vendebatur, tumque per plures menſes nemini patebat. Qui vero priſtinum ejus*

Poſſes-

Poſſeſſorem, Illuſtriſſimum Abbatem BIGNONIUM, *memoria repetierint, facile de ſumma illius præſtantia judicare poterunt.*

Cæterum incidit mihi nunc in memoriam, quod olim Celebris Cancellarius Pariſienſis, Joannes Gerſonius, *dicere ſolebat, ſe librorum ſuorum nec* monoculos *judices cupere, nec* moroſos. *Illi hodie non ita frequentes ſunt, atque priſtina* Gerſonii *ætate, in qua barbaries, atque ſpiſſæ ignorantiæ tenebræ orbem occupabant, plurimique, qui inter literatos numerabantur, vix Græca legere, nedum intelligere poterant. At nunc, Deo ſint laudes, in Seculo vivimus, ubi omnes ſcientiæ ac humanæ eruditionis partes in ſummum faſtigium evectæ ſunt, & in quo periti librorum judices non deſunt, utinam nec moroſi! Quemadmodum vero illorum examini librum meum, ſi illo dignus videatur, ſubjicio lubens, atque ex illo inſtrui peto: ita horum cenſuras non metuo. Nonnulla tamen eo nomine prænotare, operæ pretium duco.*

Dum p. 131. ubi de Bibliotheca Jeſuitarum egi, odioſum Hæreticorum *titulum non in aliud mitius commutavi, feci in eo,*

quod

quod Hiſtorici officium requirit, inque eo Celebris Uſſerii *Exemplum mihi imitatus videor, qui in pari cauſa idem præſtitit. Vide omnino Præf. libri de ſucceſſione Eccl. Chriſt. quem hic citavi p. 232.*

Quæ de variantibus Scripturæ lectionibus hinc inde a me annotata ſunt, neminem, niſi præjudiciis occupatum, morari poterunt. Nullibi equidem, fateor, in ipſum hujus argumenti pelagus intravi, quia inſtituti ratio me in littore tantum ſubſiſtere jubebat. Eſt vero ex meis Amicis, Vir Clariſſimus atque Doctiſſimus, D. WALKERUS, *qui eodem, cum Pariſiis agerem, tempore, Codices Novi Teſt. manuſcriptos præſtantiſſimos magna induſtria multoque cum judicio contulit, atque ex iis variantes lectiones collegit, quas, qui ſuis auſpiciis Virum Clariſſimum eo miſit, ſuo tempore annotationibus ſuis in N. T. iteratis vicibus a me in hoc libro laudatis, inſeret Vir Celeberrimus*, D. RICHARDUS BENTLÉJUS, *cui & ego pro multis in me collatis officiis, ſpeciatim pro ſumma affabilitate, doctiſſimiſque colloquiis, publicas eaſque maximas gratias perſolvo.*

Deni-

Denique quod Eccleſiæ Patres attinet, de quibus hinc inde a me facta mentio eſt, ipſis omnino ſummam venerationem deberi, profiteor, maxime quia plures ex iis Religionem Chriſtianam ſuo ſanguine obſignarunt. Illorum ergo finem intueamur, & ſequamur ipſorum fidem! *At cum eosdem homines fuiſſe conſtet; cum pauci ex iis Critices fuerint periti, omnes vero ſuos in quibusdam manes fuerint paſſi; cum denique ſola Scriptura ſit unica atque certa fidei regula; licebit utique illorum ſcripta ſub examen vocare, &, quæ minus recte dicta erant, corrigere atque emendare; quod qui* irreverentiam erga antiquitatem *appellat, illum ſuperſtitioſe moroſum eſſe oportet.*

Sed ohe! jam ſatis eſt: alia nonnulla ad finem hujus libri annotavi, quæ mihi ulteriori explicatione indigere videbantur.

Atque ita, Benevole Lector, has mei itineris literarii primitias æquo animo accipe, atque in poſterum fructus a me uberiores expecta.

Dabam *Cantabrigiæ* Prid. Idus *Novembris*
Anno MDCCXX.

INDEX Capitum totius Libri.

PARS I.

Cap. I. *De Bibliotheca Regia.*
C. II. *De Bibliotheca Colbertina.*
C. III. *De Bibliotheca San-Germanenſi ordinis Benedictinorum ex Congregatione S. Mauri.*
C. IV. *De Bibliotheca Mazariniana.*
C. V. *De Bibliotheca Facultatis Theologicæ Sorbonenſis.*
C. VI. *De Bibliotheca Monaſterii S. Genovefæ.*
C. VII. *De Bibliotheca Jeſuitarum Collegii Ludovici M. itemque Domus Profeſſæ in via Antoniana.*
C. VIII. *De Bibliotheca Canonicorum Abbatiæ S. Victoris.*
C. IX. *De Bibliothecis Patrum Oratorii in Via Honorati, itemque Fratrum ordinis Prædicatorum in eadem platea.*
C. X. *De Bibliotheca Auguſtinianorum Diſcalceatorum prope viam Victoriarum.*
C. XI. *De Bibliotheca Minimorum.*
C. XII. *De Bibliotheca Cœleſtinorum.*

PARS II.

Cap. I. *De uſu Bibliothecarum Pariſienſium.*
C. II. *De notitia Hiſtoriæ literariæ, deque ejus indole, notitia, atque præſtantia.*
C. III. *De arte Critica.*
C. IV. *Diſquiſitio Critica de Codice Colbertino de mortibus Perſecutorum, Lucio Cæcilio inſcripto, quem genuinum Firmiani Lactantii fœtum eſſe, contra Clar. Nourrium, Monachum Benedictinum Pariſienſem, oſtenditur.*
C. V. *De Fontibus Hiſtoriæ literariæ diſſeritur propoſito exemplo Antiquitatis Eccleſiaſticæ.*
C. VI. *De Bibliothecariis, aliisque Eruditis Pariſienſibus.*
C. VII. *De recto ſtudiorum ſcopo.*

CAP.

CAP. I.

De Bibliotheca Regia.

§. 1.

DATURUS brevem quandam delineationem de præcipuis Bibliothecis Pariſienſibus, ab ea exordium ſumo, quæ inter omnes reliquas tantum eminet, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Ea a Regibus Galliæ fundata eſt, & ex Regiis ſubinde reditibus illuſtratur atque augetur, unde merito *Regia*, vel, ſi mavis, ob ſummam ejus præſtantiam, Bibliothecarum Pariſienſium *Regina* dicitur.

§. 2. *Carolus* M. de Eccleſia non minus quam bonis artibus præclare meritus, * jam ſuo tempore

* Eccleſiam ſibi devinxerat maxime in Concilio Francofurtenſi, ipſius juſſu & auctoritate congregato; ubi contra erronea Concilii Niceni II. decreta, cultus imaginum religioſus ex Scriptura fuit refutatus atque abolitus. Merita vero optimi Imperatoris in rem Literariam ex multis documentis clariſſimis eluceſcunt, non modo quod ipſe jam ætate provectiore addiſcendis bonis artibus ſe dedit, atque ob eam cauſam hanc quoque privatam Bibliothecam in ſuos uſus maxima cura atque induſtria adornavit, in qua plures Codices manu ejus exarati continebantur; verum etiam quod ipſe primus Pariſiis artium liberalium ſedem fixit, *Scholamque publi-*

pore Bibliothecam adornaverat, a qua tamen Regiæ præſentis initia mihi neutiquam arceſſenda videntur. Quippe eam optimus Rex atque Imperator intra ſua privata ſcrinia reſervaverat, ac præterea teſtamento legaverat, ut ea poſt mortem ipſius venderetur, atque pretium exinde proveniens pauperibus cederet.

cam inſtituit. Sunt, qui eum Univerſitatis ipſius Auctorem deprædicant, ut Robertus Gaguinus, Hector Boethius, Nicolaus Gilleſius, Franciſcus Belleforeſtus, inprimis vero Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis aliquot voluminibus comprehenſa. Contrarium vero defendunt Stephanus Paſquierius, in libro Gallico, Recherches de la France, Petrus Bonfenſius in Antiquitatibus Pariſienſibus, Claudius Joly in tr. Gallico de Scholis Epiſcopalibus, & Lambecius in Bibl. Cæſ. T. II. p. 260. Inſtituti ratio non patitur, in hanc controverſiam deſcendere; breviter illud monendum duco, ſi Academiæ nomine intelligatur Societas Eruditorum ex quatuor Facultatibus, *Theologica*, *Juridica*, *Medica*, ac *Philoſophica* conſtans, certum eſt, Univerſitatem a Carolo M. neutiquam fuiſſe inſtitutam, quippe cujus origo Ludovico VII. ejuſque Filio & ſucceſſori Philippo potius debetur; aſt ſi latiori vocis ſignificatu Academia notat Scholam publicam, in qua liberales artes docentur, negari nequit, ejus fundationem a Carolo M. repetendam eſſe; unde & ſingulis annis in Collegio Navarræo, die 28 Januarii oratio panegyrica in ipſius memoriam inſtituitur, & quoniam ea Facultas, quæ Philoſophiam & humaniores literas docet, omnium antiquiſſima eſt in hac Univerſitate, utpote quæ jam tempore Caroli M. viguit, forſitan exinde fit, ut, quod in nulla alia Academia obſervavi, Rector Univerſitatis Pariſienſis ſubinde ex Philoſophica Facultate eligatur.

De

De libris, (inquit Eginhardus in vita ejus apud Lambecium Bibl. Cæſ. Vindob. Tom. II. p. 264.) *quorum magnam in Bibliotheca Palatii ſui Aquenſis copiam congregavit, ſtatuit (vi teſtamenti ſui) ut ab his, qui eos habere vellent, juſto pretio fuiſſent redemti, pretium in pauperibus erogatum.* In quo licet pietatis monumentum ſtatuere vellet laudatiſſimus Imperator, facile tamen mihi perſuadeo, eum pro ſingulari, quo erat in literas promovendas ſtudio, nunquam commiſſurum fuiſſe, ut hæc Bibliotheca, ſalvis pauperum emolumentis, quibus alio modo proſpici poterat, ita divenderetur, ſi modo Vir aliquis doctus & æquus rerum arbiter ipſi contigiſſet, qui eum ab iſto inſtituto fuiſſet dehortatus; ita enim multi præſtantiſſimi Codices diſſipati atque diſtracti fuere, nonnulli etiam ſine dubio cum blattis atque tineis luctantur, atque ex diuturnis tenebris lucem anhelantes expectant. Unum ex elegantioribus recenſet nobis laudatus antea Lambecius in Bibl. Cæſarea Tom. II. pag. 320. & admiratione ſuſpenſus hæret, quo pacto & qua viciſſitudine rerum iſte in hanc Bibliothecam devenerit. Continet ille Codex volumen Epiſtolarum, quas Romani Pontifices Gregorius XIII. Stephanus III. Zacharias I. Paulus I. Stephanus IV. Hadrianus I. & Anti-Papa Conſtantinus miſerunt ad Principes & Reges Francorum, Carolum Martellum, Pipinum & Carolum M. eſtque illud in iſto Codice admirandum, quod is, uti titulus oſtendit, ſtudio & cura ipſius Caroli M. fuerit exaratus. Ipſius Filius

 Ludo-

Ludovicus Pius, Regni Hæres, itemque & *Carolus Calvus*, Imperatoris ex Ludovico Nepos & hujus ſucceſſor, Bibliothecas quoque habuiſſe leguntur. Quippe in Synodo Ticinenſi Anno 876. habita, ſubſcribit Hilduinus, Abbas S. Dionyſii, & Bibliothecarius Caroli Calvi. * Et Ebo, Archiepiſcopus Remenſis, Bibliothecarii munere fungebatur, ut patet ex Caroli C. epiſtola ad Nicolaum P. ubi ait, illum à Parente Ludovico Pio, adhuc Aquitanico Rege, fuiſſe conſtitutum. Vid. Morhoff. Polyh. Tom. I. lib. 1. cap. VI. §. 6. Verum & illæ Bibliothecæ privatæ magis quam publicæ fuerunt. Cæterum patet exinde, quanto in honore jam tum temporis habitum fuerit Bibliothecarii munus, quod Archiepiſcopis aliisque Viris ſummis a Regibus committi ſolebat. Multis temporibus poſt *Carolus V.* qui Sapiens dicebatur, itemque *Carolus VI.* in adornanda Bibliotheca ſuæ munificentiæ ſpecimina edidere, varioſque hinc inde Codices præſtantia excellentes conquiri juſſere; atque ex iſtis potiſſimum initiis repetenda eſt præſens Bibliotheca Regia, de cujus admirabili progreſſu ſtatuque præſenti jam ulterius nobis erit diſpiciendum.

§. 3. Regnante *Ludovico* XI. cum Typographia in Galliam, & primo quidem Lutetiam Pariſiorum introducta eſſet Anno circiter 1470. nobiliſſimæ hujus totque retro ſeculis incognitæ artis beneficio, hæc ipſa quoque Bibliotheca Regia brevi tempore inſignia incrementa

* Conf. omnino Mabill, in arte Dipl. l. 2. c. 13. p. 126. & 144.

capere

capere viſa eſt, cum juſſu & mandato Regis, qui & deſideratiſſimum hoc Typographiæ inſtitutum ampliſſimis * privilegiis in Regno ſuo ornaverat, omnes quæ tum temporis adparebant, editiones præſtantiores in hanc Bibliothecam conferrentur, facta & Manuſcriptorum Codicum acceſſione, qui libris impreſſis juncti, Bibliothecæ ſplendorem augere debebant. *Ludovico XI.* ſucceſſit Filius *Carolus VIII*, cui & Bibliotheca illuſtres acceſſiones debet. Quippe ipſe Literarum amans erat, & *Roberto Gaguino*, Bibliothecæ Præfecto, provinciam demandabat, Commentarios Julii Cæſaris vitamque Caroli M. ~~traducendi~~ Gallice transferendi; ipſe etiam Rex, cum jam ingreſſus eſſet Regnum, Linguæ Latinæ addiſcendæ ſtudio tenebatur, quam & haud infeliciter intellexerat. Ejuſdem ergo Gaguini

* Hic omnino conferendus eſt *Gabriel Naudæus* in libro Gallico: Additions à l' Hiſtoire de Louis XI. Pariſiis edito Anno 1630 in 8vo. liber eſt præſtantiſſimus, in quo multa ad hiſtoriam literariam illius temporis pertinentia explicantur; cumque hodie oppido rarus ſit, utique optandum foret, ut denuo imprimeretur. Vid. & l' origine de l'Imprimerie de Paris par le Siéur *André Chevillier*, qui erat Doctor & Bibliothecarius Sorbonicus: prodiit Pariſiis Anno 1694. opus excellentiſſimum eſt, multaque eruditione refertum. Addi meretur l' Hiſtoire de l' imprimerie, par *Jean De La Caille*, Libraire, in quarto, prodiit Pariſiis 1689. in quo libro Hiſtoria Typographiæ Pariſienſis haud male traditur, Regumque privilegia, quibus ea crevit, explicantur; quin & omnium Typographorum nomina uſque ad an. 1689. ibi ſiſtuntur.

conſiliis uſus, Bibliothecam libris impreſſis, atque codicibus manuſcriptis auxit.

§. 4. Laudatiſſimis Majorum veſtigiis præclare inſtitit *Ludovicus XII*, qui cum animo eſſet literis Literatiſque maximè addicto, ipſeque ingenio plurimum polleret, Bibliothecæ altius provehendæ curam haud vanam ſuſcepit, uſus inprimis conſilio laudati modo *Roberti Gaguini*, * de quo ut & Regis in Literas promovendas ſtudio digna ſunt verba Miræi Bibl. Eccl. p. 276. quæ hic adponantur. Robertus Gaguinus, Duaci in Gallo-Flandria natus, cumque facundia & rerum uſu valeret, ſæpe Regis Galliarum nomine in Italia, Germania, ac Britannia publicas legationes obiit, Ludovico XII. inprimis charus, qui, cum veterum Librorum colligendorum ſtudio teneretur, ingentem ei pecuniæ vim eo nomine appendit, *regnique ſui Bibliothecæ præfecit*. Unde patet Bibliothecam iſtam Regi maximæ curæ fuiſſe, neque eam amplius privatam, qualis erat tempore Caroli M. ſed publicam extitiſſe; quippe quæ *Bibliotheca Regni* dicebatur. Cæterum de Roberto Gaguino plura judicia in utramque partem videre qui geſtit, adeat velim Clariſſimi Viri P. Le Long Bibliothecam Hiſtoricam Galliæ p. 385. Idem Rex Celeberri-

* De hoc *Roberto Gaguino* illud notandum, quod tres Galliæ Reges vita attigerit, iiſque ſuam operam præſtiterit, quippe Ludovicum XI. Carolum VIII. & Ludovicum XII. qui omnes ejus Conſiliis in ornanda Bibliotheca Regia maxime uſi ſunt.

mum

mium Virum, * *Johannem Laſcarem*, natione Græcum, ab Aula Medicea, ad quam tanquam ad ſuum † Aſylum confugerat, mortuo Laurentio de Medicis, in Regnum ſuum vocavit, eumque lautiſſimis aluit ſtipendiis, uſus Viri doctiſſimi opera atque conſiliis non modo in

* Erat ille ex Imperatoria Familia oriundus, atque in literis Græcis non modo, ſed Latinis etiam verſatiſſimus, de illis non eſt dubium; quippe natione Græcus erat; atque eam ob cauſam quoque Laurentius de Medicis, cum ſuam Bibliothecam, quæ & hodie *Laurentiana* dicitur, adornare vellet, hunc ipſum Johannem Laſcarem bis Conſtantinopolim miſit, ut Codices præſtantiores, maxime Græcos, inde reportaret. Idem quoque ſub Ludovico XII. literas Græcas in Galliam introduxit, atque ex ejus conſiliis atque conſuetudine ſe profeciſſe non diffitetur Guilielmus Budæus in Epiſt. ad Cutbertum Tonſtallum, quæ legitur in operibus Baſileæ impreſſis p. 356.

† Ita recte me appellare mihi videor Aulam Mediceam, tot meritis in literas atque earum cultores illuſtrem. Inprimis ea laus debetur *Laurentio de Medicis*, qui eruditorum non modo *Mæcenas*, ſed plane *Pater* erat, ut annalium monumenta docent. Atque hoc inter alios expertus erat præſens Joannes Laſcares, qui, cum, urbe Conſtantinopoli ab Ottomannis capta, ad Laurentium de Medicis confugeret, benevolentiſſimo affectu ab eo exceptus fuit, atque plures annos in ipſius aula, non ut peregrinus, verum ut domeſticus plane ex voto tranſegit. Felicem temporum ſortem, quando Literati in Principum Regumque aulis non modo facilem aditum, ſed iidem afflicti etiam, ſi caſus ita ferat, aſylum experiuntur!

rebus literariis atque in adornanda amplius Bibliotheca Regia, verum etiam politicis; quippe ipſi Legationem Venetam commiſerat, qua per plures annos fungebatur.

§. 5. Ita jam ſub præcedentibus Regibus ex diuturnis tenebris longaque ac rudi barbarie lucem anhelaverat Res Literaria; at nondum eam plene acceperat; hanc enim felicitatem, hancque gloriam fata reſervaſſe videbantur immortali memoria digniſſimo Regi, *Franciſco* I. quo non vidit orbis Regem benigniorem, literisque addictiorem, unde certatim in ejus laudes excurrunt Hiſtorici omnes, aliis eum * *Literarum Parentem* aliis † *Scientiarum Reſtauratorem* adpellantibus. Quippe tum temporis ex diuturno triſtique naufragio emerſerunt, atque portum intrarunt Muſæ, &, fugata ignorantiæ caligine, Aurora

- - - - - *mortalibus almam*
Extulerat lucem, referens opera atque laborem.

Eſt hoc in illo Rege particulare, quod literas non modo protexit, ſed amavit etiam & coluit, atque eruditorum conſuetudine plurimum fuit delectatus; cum quibus & ſuper menſam de rebus pulcherrimis diſſerere ſolitus erat. †† Sub iſtius auſpicatiſſimo Regno,

* Thuan. Hiſt. T. I. p. m. 68.

† Mezeray Hiſtoire de France T. II. p. 1041.

†† Digna plane ſunt verba Thuani, c. 1. quæ hic adponantur. *Horum (Eruditorum) ope diſcuſſis ignorantiæ tenebris lux Literis & per literas veritati in Gallia*

cujus

cujus fundamenta Rex ſapientiſſimus atque clementiſſimus in reparandis promovendisque artibus conſtituerat, brevi tempore in Gallia tanquam fœcundiſſimo ſolo ingens eruditorum ſeges propullulare viſa eſt, non modo domeſticis ejus incolis, ſed peregrinis etiam a Rege ſpe præmiorum allectis, atque ab eodem ad familiaria quoque colloquia admiſſis. Flo-

atque adeo tota Europa reſtituta eſt; ut cum alii principes ambitioſis aliunde conquiſitis titulis vanam gloriam aucuparentur, ipſe Parens literarum appellari meruerit. Circa ſe doctos homines ſemper habuit, quos dum cibum caperet, de rebus pulcherrimis diſſerentes avidiſſime audiebat, præcipueque naturalis Hiſtoriæ enarratione delectabatur, in quo tantum audiendo profecerat, ut quamvis a pueritia nullis literis imbutus, quicquid de animalibus, plantis, metallis, gemmis ab antiquis & recentibus ſcriptoribus memoriæ proditum eſt, & meminiſſet, & apte ediſſereret. His plane adſtipulatur Budæus ipſe in oratione ad Regem Franciſcum I. de ſtudio literarum recte & commode inſtituendo p. 29, 30. *Nunc autem,* inquit, *non tantum acroamatica philologica primas gratiæ partes in conclavi Regio & ſuper epulas tuas obtinent, ſed etiam generoſisſima Tua proles excellentisſimis ingeniis prædita, incredibili* SUB OCULIS TUIS *profectu nobiliſſimi cujusque ſtudium aut favorem ad cauſam literarum tuendam & exornandam accendit.* Et in verbis antecedentibus ad Regem adplicaverat hæc verba Ovidii:

Hinc Tibi *Majeſtas*, quæ Regnum temperat omne,
 Quaque die per Te eſt edita, magna fuit.
Aſſidet Illa Duci, Ducis eſt fidiſſima Cuſtos,
 Et præſtat ſine vi ſceptra tenere Duci.

 ruere

ruere ſcilicet tum temporis Viri præſtantiſſimi, uti *Guilielmus Budæus*, ſupra jam a me commemoratus, Vir in literis omnibus, Græcis maxime, verſatiſſimus, & qui ab Eraſmo *Portentum Galliæ* dicebatur; *Johannes Laſcares*, cujus itidem jam mentionem feci; eratque ille Regi ob ſingularia in rem literariam merita inprimis charus; *Franciſcus Vatablus*, Literarum Hebraicarum apprime gnarus; taceo *Joannem Bellæum, Æmilium Ferretum, Petrum Caſtellanum, Jacobum Tuſanum, Guilielmum Poſtellum, Juſtum Fenellum, Petrum Gillium*, & ſexcentos alios, qui omnes tum ſuis meritis rem literariam illuſtrare viſi ſunt; maximæ vero gratiæ debentur JOHANNI LASCARI * & *Guilielmo Budæo*, quorum † conſilio *Rex Franciſcus* Anno 1527. *Bibliothecam Regiam Fontanablæam* pleniſſime inſtruxit; & An. 1530.

* Errat ergo Freherus in Theatro virorum illuſtrium T. II. p. 1431. dum Joannem Laſcarem obiiſſe dicit anno 1489. atqui amplius triginta annis poſt ipſum vixiſſe teſtatur Genebrardus in Chronico ad ann. 1527. cui adde epiſt. Budæi ad Laſcarem ſcriptam anno 1528, exſtat illa in opp. Bud. Baſ. edit. p. 386. Unde & erraſſe conſtat Morerium, Hoffmannum, & Collierium, qui in Lexicis ſuis obitum Laſcaris paulo poſt an. 1513. numerant.

† Negat id Paſquierius in diſquiſitionibus Galliæ p. 832. & dicit, Regem ex proprio inſtinctu ad iſta omnia acceſſiſſe; verum ille opponit hic, quæ non ſunt opponenda; nam potuit Rex proprio & voluntario inſtinctu Bibliothecam augere, & Collegium Regium inſtituere, & tamen aliorum eruditorum conſiliis uti.

Colle-

Collegium Regium fundavit; & quemadmodum Reges, prout ipſi ſcientiarum amantiſſimi ſunt, ita in eas quoque maximam munificentiam conferre ſolent; ita præter infinitos alios ſumtus, quos in literas literatosque promovendos impendit Rex clementiſſimus, iis quoque non pepercit, qui ad augendam illuſtrandamque Bibliothecam requirebantur, miſſis in regiones exteras, Orientales potiſſimum, Viris eruditionis gloria conſpicuis, in primis *Guilielmo Poſtello*, *Juſto Fenello*, & *Petro Gillio*, qui ditiſſimos librorum atque codicum manuſcriptorum adparatus inde in Bibliothecam hanc reportarunt. Cuſtodiam vero ejus primariam commiſerat Rex *Guilielmo Budæo*, qui ad iſtam ſtationem natus videbatur, cui anno 1540. mortuo ſucceſſit *Petrus Caſtellanus*, qui iſto munere ad exemplum Budæi magna dexteritate fungebatur, atque a Rege Franciſco propterea magni fiebat, qui & Regi fatis functo orationem funebrem habuit, de qua non poſſum, quin in gratiam Lectoris hanc lepidam Hiſtoriam ex Thuano adponam. *Dixerat Caſtellanus in ſermone funebri, tot & tantas virtutes eminuiſſe in Rege Franciſco I. ut plane non dubitet, ipſius animam *ſtatim atque continuo poſt mortem* ad Cœlites tranſiiſſe. Doctores Sorbonici attoniti hanc Orationem audiebant, atque ægre ferebant, nullam plane hic *purgatorii* mentionem fieri; proinde finito ſermone legatos in aulam mittunt, qui hære-

* Hiſt. Tom. I. pag. 68.

ſeos

ſcos poſtularent Caſtellanum, quod Regem ſtatim ab exceſſu animæ ex corpore beatum prædicarit; aſt illi a *Joanne Mendoſa*, Regiorum diſpenſatorum principe, hoc faceto & apto pro tempore reſponſo, (verba ſunt Thuani) eluſi ſunt. *Scio*, inquit, *quid huc veneritis, nempe ubi locorum Franciſci Heri optimi anima nunc ſit, cum Caſtellano ut male ſentiente controverſamini: cæterum vobis confirmare poſſum, qui Franciſcum optime noverim, hoc eum ingenio ſemper fuiſſe, ut diu hærere ullo loco quantumvis amœno & jucundo nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non moræ faciendæ cauſa divertiſſe videatur, ſed tantum ut vinum illac tranſeundo a pocillatore pro more deguſtandum acciperet. Quo audito*, pergit Thuanus, *cum viderent Sorbonici, Caſtellanum plus in aula valere gratia, quam ut ei negotium faceſſere poſſent, pudore confuſi domum reverterunt*. Hæc tantum obiter & ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 6. Ex ſequentibus Galliæ Regibus omnes pariter de Bibliotheca Regia bene mereri viſi ſunt, quos brevitatis ſtudio tantum indicare juvat. *Henricus II.* Manuſcriptis Codicibus eam auxit, artemque Typographicam Regalibus Privilegiis in ſuo Regno ad exemplum Majorum honoravit,* ea lege, ut ex omnibus editionibus nonnullæ præſtantiores in Bibliothecam Regiam conferrentur. Ipſius uxor, *Catharina de Medicis* plures quoque elegan-

* Vid. Hiſt. *de l' imprimerie & de la librairie* p. 122.

tiſſi-

tisſimos Codices ſecum in Galliam adſportaverat, qui diu in aliena manu detenti, ſerò tandem in Bibliothecam Regiam pervenerunt, ut modo ulterius oſtendetur.

§. 7. *Carolus IX.* inter alia munera literaria, quibus Regiam Bibliothecam ornari jusſit, eam inprimis auxit, emtis Codicibus Manuſcriptis ex Bibliotheca *Ranconneti*, Præſidis, Lutetiæ in carcere, vulgo *Baſtille* dicto, mortui. Bibliothecario utebatur Rex *Jacobo Amioto*, Epiſcopo meritorum fama inclyto, quemque Carolus IX. ipſiuſque duo Fratres juvenes audierant. *Amioto* ſuccesſit celeberrimus *Jacobus Auguſtus Thuanus*, in ſuprema Gallici Regni Curia Præſes Infulatus, Vir longe integerrimus atque eruditisſimus, quod incomparabiles ab eo conſcripti Hiſtoriarum Libri abunde comprobant; cujus gloriam proinde

- - - - - nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube Vetuſtas.

Ita ſub hiſce ducibus non potuit non ſubinde magis exſplendeſcere Bibliotheca Regia; multum quippe refert, habere eruditum atque prudentem Bibliothecarium, ſi ejuſmodi inſtituta literaria feliciter ſuccedere, atque in tale faſtigium extolli debeant, quo hodie ſuperbit Bibliotheca Regia.

§. 8. *Henrici III. & IV.* ſuam quoque munificentiam atque bonitatem in promovenda hac Bibliotheca deſiderari minime pasſi ſunt. Sub utroque quippe florebat laudatus modo *J. Auguſtus Thuanus*, qui faventibus ipſorum au-

ſpiciis

ſpiciis eam illuſtravit. De *Henrico IV.* illud inprimis notandum, quod monumenta Literaria, quæ *Catharina de Medicis* ſecum attulerat, quæque hactenus apud Abbatem quendam, nomine Johannem Baptiſtam Beneiregnium latuerant, reſtitui, ac Thuano in manum tradi curavit, qui ea in Bibliotheca Regia collocavit. Sunt illi Codices præſtantisſimi, Latini non modo, ſed Græci etiam, Hebraici, Arabici, Gallici atque Italici, & multi ex illis in pulcherrimo Maroquano ligati ſunt. *Cypriani* Codex, qui inter eos extat, vetuſtisſimus longeque elegantisſimus eſt, quem & in uſum ſuum converterat Baluzius in paranda nova Cypriani Editione, quæ inter opera ejus poſthuma ſervatur, & lucem expectat.

§. 9. *Ludovicus XIII.* amplificandis bonis artibus haud parum deditus, hujus quoque Bibliothecæ benevolam curam habuit. Ipſius auſpiciis non modo *Typographia Regia* in Palatio ejus inſtituta eſt Anno 1640. ex qua tot elegantes editiones in lucem prodierunt, quæ omnes in Regia Bibliotheca hodie ſervantur, verum quoque Regia liberalitate accesſit Bibliotheca *Philippi Huralti*, Epiſcopi Cadurcenſis, quam poſt mortem ejus, conſtitutis ad hoc negotium *Petro Dupuy* & *Nicolao Rigaltio*, Rex ſoluta 12000. librarum ſumma emi curavit. Direxit hanc Bibliothecam *ſub Ludovico XIII.* Vir illuſtrisſimus, *Hieronymus Bignonius*, Advocatus Generalis Parlamenti Pariſienſis, Conſiliarius Status; cujus illuſtria in rem literariam

rariam merita tanti habita ſunt ab eruditis omnibus, ut jure optimo pro ſummo ſuæ ætatis decore atque ornamento reputaretur. Eſtque hoc plane in eo admirandum, quod moderatorem ſtudioſum Parentem ipſum, *Rollandum Bignonium*, nactus, tam felici atque celeri progreſſu eruditionis fundamenta poneret, ut jam anno ætatis 10. deſcriptionem Terræ Sanctæ, anno 13. tractatum de Antiquitatibus Romanis, & Electione Paparum, anno 23. Formulas Marculphi ederet, qui libri omnes, ut reliquos taceam, maximo cum adplauſu excepti erant. Vivit adhuc Vir immortalis gloriæ in *Nepote digniſſimo* atque *Illuſtriſſimo Joanne Paulo Bignonio*, de quo poſtea diſſerendi occaſio erit. Eodem tempore Bibliothecæ Regiæ curam geſſit laudatus jam *Nicolaus Richaltius*, cujus ſcripta Eruditis notiſſima ſunt atque commendatiſſima.

§. 10. Nemo vero poſt *Franciſcum I.* in Literis promovendis majorem gloriam conſecutus eſt *Ludovico XIV.* qui magis quidem * per animi celſitudinem, quam ex innato literarum ſtudio, earumque cognitione, illas in Regno ſuo, nemine diffitente, ad ſupremum culmen

* Memini, cum adhuc intereſſe mihi contingeret ampliſſimæ Societati Literariæ, quæ Lugduni in Gallia floret, me ex quodam Academicorum ſuper inſtituta *Franciſci I.* & *Ludovici* XIV. comparatione hoc elegans judicium audiviſſe, dignum ſine dubio, quod hic adponatur: Francois I. a protegé les Scavans par *inclination* Louis XIV. par *grandeur d' ame.*

evexit

evexit. Nam præter florentiſſimas Eruditorum Societates, quæ durante ejus Regno in Gallia, & Lutetiæ Pariſiorum maxime, ipſius auſpiciis fuerunt fundatæ; præter varia etiam hinc inde inſtituta Collegia; illud Regi *Ludovico XIV.* maxime in honorem cedit, quod Bibliotheca Regia, ipſo annuente, mirifice crevit, & ſummum ſplendorem nacta fuit, miſſis in varias Orbis regiones Viris doctiſſimis, atque inter hos inprimis celeberrimo *Mabillonio*, qui opulentam monumentorum meſſem inde reportarunt.

conf. gel. Zeitungen 1726. n. XXII. p. 209.

§. II. Neque ſilentio prætereundus Rex præſens, adhuc adoleſcens, *Ludovicus XV.* quem jam

In antiquam virtutem animoſque Viriles
Et Pater Æneas & avunculus excitat Hector.

Is Clementiæ ſuæ illuſtre ſpecimen edidit, dum conſilio Auguſtiſſimi atque literatorum amantiſſimi *Ducis Regentis* ex Bibliotheca defuncti ante aliquot annos clariſſimi Baluzii codices manuſcriptos emi, atque in Regiam Bibliothecam reponi curavit; inter quos & nonnulli libri impreſſi a Baluzio pro more obſervationibus ad marginem illuſtrati * referendi ſunt; ita videas hic *Galliam Chriſtianam Fratrum* Sam-Marthanorum, pluribus Baluzii annota-

* Plures in hac Bibliotheca libri ad marginem annotati apparent, inter quos numerare juvat N. T. Arabicum ab Erpenio editum, pulcherrimis notis illuſtratum à Gaulmino, de quo vide Richardum Simonium in Bibl. critica T. IV. p. 183.

tioni-

tionibus manuſcriptis, donatam, ut, ſi nova iſtius libri paranda foret editio, exinde plurimum lucis hauriri poſſet*. Cæterum de *Ludovico XV.* illud adhuc notandum, quod in tenera jam adoleſcentiæ ætate ſummo ſtudio atque affectu proſequatur literas, meminique, cum adhuc Pariſiis agerem, eveniſſe, ut juvenibus ex prima Galliæ nobilitate quæſtiones literarias quandoque proponeret, ad quas cum reſpondere non poſſent, eos pudore ſuffuſos a ſe dimiſit.

§. 12. Hactenus Illuſtres Fundatores Regiæ hujus Bibliothecæ hiſtorica enarratione expoſui, indicatis etiam præcipuis Bibliothecariis, qui diverſis temporum intervallis ei præfuere, ac primariis fontibus, quoad eorum cognitionem acquirere potui, ex quibus ea coaluit, & crevit. Reſtat, ut nunc librorum manuſcriptorum æque ac impreſſorum numerum, delibatis utrinque nonnullis ex præſtantioribus, indicem; quibus & alia notabiliora addere, ac loci denique, quem ea haćtenus occupat, eorumque, quorum humeris nobiliſſimæ hujus Bibliothecæ cura in præſens impoſita eſt, facta expoſitione præſens caput finire, & ad ſequentia progredi cogito.

§. 13. Complectitur illa *ſedecim millia* co-

* Si verum eſt, quod apud eundem Simonium dixiſſe fertur clariſſimus Annalium Francicorum conditor P. Le Cointe, præſtare ſe poſſe in iſto libro *Gallia Chriſtiana* dicto plus ſedecim mille erroribus contineri, habuit utique quod obeliſco annotaret Baluzius.

dicum Manuſcriptorum, & *octoginta millia* librorum impreſſorum; utrique & manuſcripti & impreſſi omnium Scientiarum omniumque pene Linguarum monumenta ſiſtunt longe præſtantiſſima: notum eſt inprimis, quam pulchros quamque elegantes theſauros ex hac ditiſſima aurifodina nobis exhibuerint *Mabillonii*, *Baluzii*, *Montfauconii*, Viri in Antiquitate Sacra, Eccleſiaſtica, atque Profana verſatiſſimi; ac hodie etiam abunde hic invenient *Theologi*, *Philoſophi*, *Juriſconſulti*, *Medici*, & *humaniorum literarum cultores*, quod eorum commoda promovere, & curioſitatem explere poſſit. Inprimis quod Galliæ Hiſtoriam, antiquam & novam, attinet, fontes hic aperiuntur genuini, monumenta atque acta authentica, Diplomata atque Edicta Regum, quæ quanti ſint momenti ad Hiſtoriam alicujus Regni deſcribendam, rerum peritiores optime norunt. At his quidem immorari nimis prolixum foret; mihi pro inſtituti ratione ex Græcis codicibus ſacris atque Eccleſiaſticis itemque ex præſtantioribus editionibus aliquid hic annotaſſe ſufficiat.

§. 14. Codex vetuſtiſſimus habetur n. 1095. uncialibus literis & ſine accentibus expreſſus; characteres jam vetuſtate attriti & flavi adparent; exhibentur in eo varii ex utroque Teſtamento libri; ſed hiulcus eſt ille Codex & mancus. Præterea obſervare oportet, quod ſuper eandem ſcripturam, tantum non extinctam, alia a Librario quodam ſeculi duodecimi, ut videtur, exarata ſit, S. Ephræmi opera

ſiſtens,

ſiſtens, ubi ſatis clare adparet, quod & ex Codicis inſpectione obſervavi, recentem Librarium data opera ſtudioque id egiſſe, ut prior ſcriptura textus ſacri evaneſceret, & ejus loco Ephræmi opera ſubſtituerentur; quod vitium maximo cum Rei Literariæ damno in quam plurimis Librariis annotatum, ut, deficiente membrana, priorem ſcriptionem, quantum in ipſis eſſet, eraderent, aliamque ſuperadderent; dolendum vero, quod hic malitioſa manus eandem injuriam ipſi adeo ſacræ Scripturæ intentarit, plane pro corruptiſſimo iſtius ſeculi genio, ubi Scriptura in pulvere jacuit, atque in vicem ejus traditiones humanæ ſubſtitutæ ſunt. Cæterum in præſenti Codice antiqua Scriptura, utut valde obſcurata, legi tamen adhuc poteſt, ſed lynceis opus eſt oculis, atque exactisſima codicum manuſcriptorum cognitione, tali nimirum, quali gaudet eruditisſimus atque in hiſce ſtudiis verſatisſimus Vir, Dn. Joannes Boivinius, qui miro ingenii acumine, & ſtupendo plane labore iſtum Codicem cum Scriptura contulit, atque ad ejus indicem in capita juſto ordine diſtribuit, quæ & una cum erudita quadam obſervatione critica ei præfixa ſunt; quam cum jam in Harmonia ad N. T. *P. Lami* publico exhibuerit, ea hic proferenda ſuperſedeo.

§. 15. Juvat tamen obſervare, quando & in quibus Codicibus maxime id acciderit, ut vetuſtior ſcriptura eraderetur. Ac primo quidem id ſeculo duodecimo & continuo ſequentibus eveniſſe conſtat; tum enim magna in

orbem invecta barbaries, omniaque ſpisſis ignorantiæ tenebris obvoluta erant, ut vel præſtantiſſima antiquitatis monumenta parum curarentur. Deinde in Codicibus membranaceis frequentius idem evenit, quam in bombycinis; ratio ejus rei manifeſta eſt, quia charta membranacea multo ſolidioris eſt materiæ, quam altera, ut non tam facile, quæ in bombycinis ſcripta erant, elidi potuerint. Tertio & in ſcriptis Patrum Græcorum id frequentius cernitur, in quibus multa truncata, quandoque & nonnulla eraſa adparent, ſcilicet ob odium, in quod plures ex illis ob ἑτεροδοξίας ſuſpicionem incurrerant, ut *Origenes*, *Euſebius*, aliique; de quo poſtea aliquid monendum reſtat. Iis, quæ dicta ſunt, ampliſſime ſuffragatur Vir eruditiſſimus atque harum rerum longe peritiſſimus *P. Bernardus de Montfaucon*, cujus verba omnino hic adponenda videntur. * *Hujuſmodi Codices, ubi vetuſtiore deleta ſcriptura, nova ſuperſcribuntur, mirum, quam multi, qui pari ſorte deleti, nuſquam comparent. Tertio & decimo quarto ſeculo exarati ſunt. Ut plurimum autem prior illa ſcriptura penitus obliterata eſt; ita tamen, ut in ipſa charta vel eradentium conatus & artificii veſtigia, vel alia quædam ſigna ſuperſint*, & paulo poſt: *æſtimo autem ſcriptores multos, qui tempore Photii, imo etiam poſtea Conſtantini Porphyrogeniti ſupererant, hoc perniciei genere peſſundatos, ac penitus extinctos fuiſſe. Hæc vero pe-*

* Vid. Palæogr. Græca p. 318.

ſtis,

ſtis,ut diximus,duodecimo ſeculo primum,deinde autem tertio decimo & quarto decimo, maxime in vetuſtiſſimos Libros graſſata eſt. In bombycinis id raro obſervatur; unicum tantum Codicem in charta bombycina reperi, ubi prioribus eraſis, nova ſupra ſcripta fuerant, ut jam dixi. * Et denique concludit: *Græci igitur Librarii, iſthac ætate ſæpe meliora eraſerunt, ut vel nænias & nugas, vel opera, quæ frequentiſſime occurrebant, in codicibus manuſcriptis, eorum loco ſubſtituerent. Magna certe tunc ubique per Græciam erat ignorantia imperitiaque rerum; ita ut quæ ad veterem Hiſtoriam, ad humaniores literas &c. pertinebant, ne flocci quidem facerent Librarii; ac ne novas membranas compararent, hæc nullo negotio peſſundarent. Interdum etiam illa, quæ ſibi in uſu erant, quoniam ob ſcripturæ vetuſtatem non ita facile legi poterant, eradere ſolebant, ut nova ſubſtituerent.* Eadem ergo fata tum experti ſunt codices Manuſcripti, quæ poſt inventam Typographiam libris impreſſis evenerunt, ubi ſæpius Librarii ad ignem pro tabaco fumando accendendum, deficiente papyro, paginis librorum impreſſorum uſi ſunt. † Hanc

* Palæogr. Gr. p. 318. ubi ex eadem Bibliotheca Regia citat codicem bombycinum 3370. in quo & vetuſtior ſcriptura eraſa eſt, uti & ex citato ab eo ſpecimine adparet.

† Quod inprimis de libris Græcis habendum, quos in iſta barbarie nemo pene intellexerat. Tum enim vulgo audiebatur: *Græca ſunt, non leguntur.*

ſortem præcavere quidem voluit ille Juriſconſultus, *Chappuiſius*, editionem Gothicam Gratiani a ſe paratam hiſce verſibus quaſi aliquo ſepimento contra omnem temporum injuriam præmuniturus: *

Non poſſet Liber hic fulvo mercarier auro,
Hoc perit, hic nunquam deperiturus erit.

At perierunt multa illius Gratiani exemplaria, eorumque hodie pauciſſima ſuperſunt; cum aurum e contrario magna cura atque ſolicitudine fuerit conſervatum atque cuſtoditum.

§. 16. In eadem Bibliotheca habetur codex vetuſtiſſimus atque emendatiſſimus n. 2245. continet Epiſtolas Divi Apoſtoli Pauli, quem recenſet † clariſſimus *Montfauconiüs*, ejuſque Specimen exhibet. Ego præter ea, quæ a Viro doctiſſimo annotata ſunt, ſequentia quaſi Spicilegii loco addenda cenſeo. Ac primo quidem ſcire velim benevolum Lectorem, Codicem iſtum fuiſſe olim *Claromontanum*, ſub quo titulo eum laudat *Theodorus Beza* in Obſ. ad 1. Cor. 10. 17. Pervenit vero ille Codex in manus *Fratrum Putcanorum, Petri & Jacobi*, qui & olim Bibliothecæ Regiæ Præfecti fuere, ipſisque defunctis cum multis aliis Codicibus ex illorum Bibliotheca in Regiam tranſmigravit; quod pro Hiſtoria hujus Bibliothecæ ad ſupplenda ea, quæ jam ſupra indicavi, obſervari poteſt. Deinde notandum, fuiſſe Viros doctos, atque inter hos *Joannem Mori-*

* Vid. *Chevillier* l'Hiſtoire de l'imprimerie p. 110.
† Palæogr. Gr. pag. 217.

num

num & Richardum Simonium, qui exiſtimarint, Codicem hunc eſſe alteram partem illius vetuſtiſſimi *Cantabrigienſis*, quatuor Evangelia & Acta Apoſtolorum continentis, quem *Theodorus Beza*, regnante *Eliſabetha*, Academiæ Cantabrigienſi dono miſerat. Verum hos falli exiſtimo: quippe oſtendit mihi Cantabrigienſem codicem Vir magni Nominis atque antiquorum codicum, ſi quiſquam alius, ſagaciſſimus Interpres, Dn. *Richardus Bentlejus*, Fautor meus ſingularis; ubi coram obſervavi, præſentem codicem aliam plane foliorum formam habere, quam Regium; characteres quoque in Cantabrigienſi paulo majorem vetuſtatem ſpirant, ut jure quinto vel certe ſexto ſeculo accenſeri poſſit, Regio ad ſeptimum pertinente, quo paulo poſt, judice *Montfauconio*, accentus & ſpiritus inveniri cœperunt; hæc vero codicum vetuſtiſſimorum differentia viſu magis percipi, quam verbis exprimi poteſt. Neque *Theodorum Bezam* affirmaſſe video, uti de eo contendit *Joannes Morinus*, iſtum codicem Cantabrigienſem *alteram partem* eſſe Claromontani, qui hodie Regius eſt: vetuſtiſſimum illum adpellat atque emendatiſſimum, ſed nullibi, quantum ſciam, utrumque pro unius plane Autoris fœtu reputat. Præterea *Morinus* de noſtro hoc Codice verba refert ex *Theodoro Beza*, quæ mihi omnino obeliſco digna videntur: ita vero *Morinus*: BEZÆ VERBA REFERAM (ad Luc. c. 19. v. 26.) QUIA MEMORATU DIGNA SUNT: *itaque malim cum Syro Interprete, & vulgata Latina*

 legere,

legere λέγω δὲ ὑμῖν, *dico autem vobis* : *vel cum illo* Vetustissimo Claromontano *& ſervata particula* γὰρ *verſiculum 25. expungere* , *ſic quoque optime fluit ſententia* ; Similia Act. 20. v. 3. *Cæterum Codex ille noſter Claromontanus totum hunc locum ſic legit*, ἠθέλησεν ἀνχθῆναι εἰς Συρίαν εἶπε δὲ αὐτῷ τὸ πνεῦμα ὑποστρέφειν διὰ Μακεδονίας i. e. *voluit provehi in Syriam, Spiritus autem ei dixit, ut per Macedoniam reverteret, & hæc lectio mire convenit cum ipſius Pauli verbis* infra, v. 22. Hic turpiter confundit ipſe *Theod. Beza* codicem *Lugdunenſem*, nunc *Cantabrigienſem* cum *Claromontano* noſtro: ille ex ipſius teſtimonio quatuor Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum, hic Epiſtolas Paulinas continet. Ergo non mirandum, *Morinum* ab eo hic in errorem inductum fuiſſe. Denique proponit hic *Morinus* varias ex codice præſenti lectiones differentes, ubi idem ejus notandus eſt ſpurius ſcopus, quem & in explicatione veteris Teſtamenti cognoſcendum dedit. Nempe quemadmodum hic id agit unice, ut textum Hebræum, quaſi a Judæis corruptum, deprimat, atque ejus loco Pentateuchum Samaritanum verſionemque Septuaginta viralem tanquam authenticam elevet atque extollat; ita hic in Teſtamento Novo pretium textus Sacri Græci ob variantes, quæ in Codice Sacro deprehenduntur lectiones, quovis modo extenuat, atque ei translationem Eccleſiæ, miro ſane præjudicio maximaque in Scripturam Sacram injuria

præ-

præſert. Huc enim pertinet, quod Vir eruditus pag. 60. ait: *Si vulgata Eccleſiæ translatio ad Græcum Textum exigenda eſt, & emendanda, cum Græcorum exemplaria mirum in modum varient, quodnam ut emendationis normam eligemus?* Verum ego ei commodiſſime reſpondeo verbis *Hieronymi* * (debent enim teſtimonia Patrum apud Pontificios inprimis maximæ eſſe auctoritatis) *ſi Latinis Exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus? tot enim ſunt Exemplaria pene, quot Codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel a vitioſis Interpretibus male reddita, vel a præſumtoribus imperitis emendata perverſius, vel a librariis dormitantibus aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus?*

§. 17. Unde patet, eam difficultatem, quam opponit *Morinus* textui Græco, longe magis Latinos Codices premere; deinde ad propoſitam quæſtionem facillime etiam reſpondetur, dicendo, ex variantibus illis lectionibus Græcis eam eſſe ſeligendam, quæ textui maxime reſpondet, quæque fide antiquiſſimorum Codicum inprimis nititur; at dicit *Morinus*, hoc ipſum eſſe, in quo Hæreticorum Sacra Scriptura (quippe ſolo Dei verbo ſcripto inniti, Hæreticum viſum eſt *Morino*) hodie deficiat; eam enim a vetuſtiſſimis exemplaribus alienam eſſe, cum e contrario cum iis exacte con-

* Vid. Præfationem *Hieronymi* ad *Damaſum* Evangelio Matthæi præfixam.

cordet vulgata Eccleſiæ translatio, quod & ex præſenti Codice *Claromontano*, hodie *Regio*, itemque ex Cantabrigienſi probaſſe ſibi videtur. At primo falſiſſimum eſt, Græcum textum hodiernum ita a vetuſtiſſimis codicibus diſcedere, ut, ſaltem in myſteriis fidei rebusque ad ſalutem creditu neceſſariis, non certus habeatur earum ſenſus, atque norma indubitata, cui fides noſtra inniti queat. Secundo hac objectione propria vineta cædit *Morinus*; demus enim, vulgatam verſionem optimam eſſe, quia inter ipſam & vetuſtiſſimos Scripturæ Codices accuratiſſima eſt conformitas, patet eo ipſo, illi translationi jam non credi propterea, quia eſt translatio Eccleſiæ Romanæ, ſed quia cum fontibus convenit; unde fruſtra hic contra Proteſtantes ex capite Conciliorum & auctoritate Pontificum Romanorum tam audacter diſputat; pudenda etiam contradictio eſt, quod dum antea *vulgatam Eccleſiæ translationem ad Græcum textum exigendam & emendandam, cum Græcorum exemplaria mirum in modum varient, negavit*, jam paulo poſt fatetur, mendas, quæ in vulgatam verſionem irrepſerunt, *religioſe emendatas fuiſſe ex antiquiſſimorum manuſcriptorum integerrima fide.* At non eadem integra fide agit *Morinus*; nam tertio notandum, ipſum in collatione vetuſtiſſimi exemplaris Regii & Cantabrigienſis ea tantum loca excerpſiſſe, quæ cum vulgata conſpirant, tacitis iis, in quibus ea ab iis diſcrepat; quod oſtendit *Theodorus Beza*, & alibi quoque à nobis comprobabitur. Interim exinde rurſus

patet,

patet, ſuo gladio ſe jugulare *Morinum*; nam ſi translatio Latina Romanæ Eccleſiæ ideo perfecta eſt, quia cum vetuſtiſſimis convenit codicibus, ex ipſius Hypotheſi eadem imperfecta erit, & nævis haud carebit, quando ab iis diſcedit; neminem vero inter hodiernos Pontificios honeſtiores tam audacem fore exiſtimo, ut neget, verſionem Vulgatam in quam plurimis adhuc a Græcis codicibus deviare, atque emendatione indigere. Porro in præſenti diſputatione *Morinus* regiam mediocritatis viam prætervehitur plane, atque ab uno extremo ad alterum delabitur; nam quod Græcus Codex N. T. a vetuſtiſſimis quibusdam exemplaribus adhuc diſcrepat, exinde ipſam Textus originalis auctoritatem impugnat, atque hoc argumento Proteſtantes onerat, ac ſi nullam haberent certam credendorum normam; verum ſi quod eſſet hujus rationis momentum, neſcio, cur ea ſolis Proteſtantibus opponatur, cum ea longe fortius ipſorum Pontificiorum cauſam oppugnet. Nam illi ſequuntur Verſionem Latinam, humana auctoritate confectam; omni autem rationi contrarium eſt, ut aliqua translatio textui originali non modo comparetur, ſed præferatur etiam. Secundo ipſius Latini textus ſtatim in Eccleſia primitiva varii atque diverſisſimi extiterunt Codices, ut ſupra nos docuit Hieronymus. Tertio ipſa vulgata ſuper variantium lectionum Græcis Codicibus exarata eſt; at dicet Pontificiorum quiſpiam, hic intercesſiſſe Eccleſiæ auctoritatem, quæ ſingulari privilegio infallibilitatis textum Scri-

pturæ

pturæ certum atque indubitatum determinavit. Primo ita ſupponitur, quod eſt in quæſtione: deinde ſi hæc ita ſunt; cur ergo *Damaſus* Papa *Hieronymum* rogavit, ut verſionem ad regulas *Critices* exactam & cum Græcis fontibus collatam Eccleſiæ exhiberet? cur poſtea *Hieronymianos* Codices *Sixtus* V. & hujus emendationes *Clemens* VIII. caſtigavit? Hic nulla ſane infallibilitatis umbra apparet; poſteriora enim derogant prioribus, ut pridem recte a Grotio dictum memini. Secundo identidem hic repetendum, Græci textus variantes illas Lectiones * fundamentum ſalutis non attingere, atque plerumque in accidentalibus textus circumſtantiis conſiſtere, ut proinde fruſtra ſit *Morinus*, dum ex Codice præſenti talia ſubinde urget, de quibus nulla plane controverſia eſt. Denique hoc maxime attendendum, quod ex allato ſuperius argumento nihil aliud ſequatur, quam quod & nemo prudens & æquus rerum arbiter diffitebitur, neceſſarium eſſe, ut a Viris eruditis Scripturæ textus cum vetuſtisſimis atque emendatisſimis codicibus conferatur, atque adhibito judicio Critico ex varianti-

* Quippe hoc pro ſingulari atque luculentisſimo Divinæ Providentiæ argumento reputandum eſt, ut, licet Exemplaria Scripturæ tot imperitiſſimorum quandoque librariorum manu deſcripta eſſent, ea tamen, maxime quod res creditu neceſſarias atque fundamentalia Chriſtianæ religionis capita attinet, integra atque illibata ad nos pervenerit; ut totum ſyſtema ſalutis noſtræ in ea plene contineatur.

bus

bus lectionibus genuina eruatur, *quod & in præſenti Codice fecit *Theodorus Beza*, qui ubi vulgata Græci textus editio ab eo diſcedere viſa eſt, id ſolicite annotavit; in textu vero mutationem facere temere noluit, quia illæ diverſitates exigui ut plurimum viſæ ſunt momenti; † in quo ſecutus eſt ipſius *Hieronymi*

* Hic omnino conferendus eſt Vir magni apud ſuos exterosque Nominis, D. *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius*. Decus Univerſitatis Tubingenſis, in qua jam ſingulari ſuo merito *Cancellarii* munere fungitur. Is ante undecim annos diſſertationem edidit Criticam, ſummo cum adplauſu ubivis acceptam, de variantibus lectionibus N. T. in qua idoneas regulas ſuppeditat, quomodo variantes illæ lectiones Scripturæ Sacræ conciliari, atque genuina a ſpuria diſtingui debeat; quod ibidem non modo præceptis tradit, ſed ſolidis etiam exemplis probat atque illuſtrat.

† Ex Gr. ad locum Rom. 3. v. 2. ubi de Judæis loquens Apoſtolus ait: *πρῶτον μὲν γὰρ ὅτι ἐπιςεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.* In Codice noſtro legitur *πρῶτον μὲν ὅτε*, omiſſa particula *γὰρ*, quaſi ad ſermonis ordinem reſpiceretur; *primum quidem quia.*; quæ & *Eraſmi* interpretatio eſt. *Theodorus Beza* vero, quum ſcriptum ſit *μὲν γὰρ* in textu ſequente *ὅτι*, ſubintelligit particulam *eſt*, & *πρῶτον* reddit non per primum ſed primarium; nihil tamen hic voluit immutare, atque in addita nota libero lectoris judicio utramque lectionem relinquit. *Seligat lector, quod maxime placuerit.* Mihi ſententia *Bezæ* in eo maximopere arridet, quod *πρῶτος* reddidit per primarius; uti & hæc vox accipitur 1 Cor. 15. v. 3. *παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις, ὃ καὶ παρέλαβον ὅτι Χριςὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς.* Hic vocabulum

exem-

exemplum, qui in laudata Epiſtola ad *Damaſum* ſcribit: *Ita calamo temperavimus, ut in his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* Atque ita etiam poſterior ætas tulit Viros præſtantisſimos, qui in conferendis atque dijudicandis Sacri Textus variantibus lectioni-

πρώτοις ſine dubio notat PRIMARIUS; quippe præcipua fidei Chriſtianæ capita deſcribit Apoſtolus; ita pariter in loco præſenti ad Romanos primaria ea fuit Judæorum prærogativa, quod ipſis concredita erant Eloquia Dei. Ubi vero digniorem quandam emendationem exhibuere vetuſtisſimi Codices, eos ſecutus eſt *Beza.* Ita Rom. 5. v. 17. in Codice noſtro vetuſtiſſimo legitur: *Εἰ γὰρ τῷ ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς &c.* quam lectionem ſequendam ſtatuit *Beza*, quia ſi legas *τῷ τοῦ ἑνὸς*, redundabit, *διὰ τοῦ ἑνὸς*, quod mox ſequitur. *Deinde quis non videt*, inquit, *uni lapſui opponi redundantem Chriſti juſtitiam? ac ſi dicat Apoſtolus; ſi Unicus lapſus potuit omnes homines per Unum illum peccantem morti addicere; annon multo magis illa non in Unico quopiam facto præſtita, ſed modis omnibus redundans, unius illius, nempe Jeſu Chriſti, obedientia aſſeruerit nos in vitam?* Credo tamen, ſi & communis lectio ſervetur, eundem verborum ſenſum fore; & repetitio vocabuli *ἑνὸς* hic emphaſeos locum implere poteſt. Cæterum notandum, vulgatam verſionem a præſenti Codice noſtro, quemadmodum in multis aliis locis, diſcedere; quæ ſingula vero altiſſimo ſilentio præteriit *Morinus*, qui ea tantum corraſit, quæ ipſius cauſæ patrocinari, textumque Græcum inviſum reddere ipſi videbantur; in quo nemo ipſius fidem laudabit.

bus

bus præclare verſati ſunt; quorum lucubrationibus propediem novam lucem affundet Vir Κριτικώτατος D. *Richardus Bentlejus*, qui Novi Teſtamenti editionem brevi nobis eximiam atque præſtantisſimam ſiſtet, in qua ex vetuſtisſimis codicibus, ac probatisſimis Patrum teſtimoniis Scripturæ textum ita explanabit, ut paucis variantibus lectionibus locum ſit relicturus. Cujus laudatisſimis veſtigiis ſi poſt hac alii, qui dignis ſubſidiis ad hoc inſtitutum inſtructi ſunt, inſiſtere voluerint, ſpes eſt manifeſta, nos tandem, ſuperatis omnibus difficultatibus, Scripturam nitori ſuo reſtitutam habituros, atque ita

Nullus in egregio corpore nævus erit.

§. 18. Ex hactenus itaque dictis abunde patet, *Morinum* textui Græco pene nihil, verſioni autem Eccleſiæ omnia adſcribere; quaſi non niſi ex hac hodie certo cônſtaret quis ſit verus Scripturæ ſenſus; *Huic translationi*, inquit, *neceſſe eſt me credere, ſi credo Evangelio, quoniam utrumque ſimiliter mihi Catholica commendat auctoritas.* At vero ego credidi hactenus inter fontem & rivulum diſtinguendum eſſe, ad quod & recte attendit *Hieronymus*, qui loco ſupra citato ait: *De novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraicis literis edidit. Hoc certe cum in* Nostro Sermone Discordat, *& in diverſos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum eſt.* Si vero *rivus* eſt translatio, qui ad *fontem* ſuum deduci debet,

debet; ſi eadem cum *Sermone Græco diſcordat* ſæpe numero: ſi denique, ut ſupra jam annotavi, illa varie mutata atque ad Græcos codices correcta eſt; cur *neceſſe eſt me credere translationi, ſi credo Evangelio?* At, inquit Morinus, *catholica auctoritas id commendat*; plane ut Tirinus qui cum de authentia loci 1 Joh. 5. Tres ſunt qui teſtantur in cœlo &c. diſſeruiſſet, ſubjungit; *neque licet amplius hac de re dubitare, maxime poſt decretum* CONCILII TRIDENTINI, JUBENTIS *hanc epiſtolam pro Canonica recipi, cum omnibus ſuis particulis.* Ita quidvis pro lubitu αὐτοκρατορικῶς decidendi poteſtatem ſibi arrogat Eccleſia Romana, quod & in præſenti quæſtione facit *Morinus*, dum textum originalem e throno dejicit, ut in eum elevet translationem humanam; in quo mihi * *Cardinalis Ximenii* exemplum imitatus videtur, qui in editione Bibliorum Complutenſi, cui præfuit, verſionem vulgatam inter Textum Græcum & Hebraicum poſitam comparat cum Chriſto inter duos latrones in cruce pendente, quo nihil magis impium cogitari poterat. Reliqua, quæ hic diſſerit *Morinus*, a

* Memini, *Richardum Simonium* alibi dubitare, num hæc verba a docto Cardinale profecta ſint; aſt cum id tot teſtimoniis confirmatum ſit, nullus amplius dubitandi locus ſupereſt. Oſtendit mihi etiam, cum Bernam in Helvetia tranſirem, Vir doctiſſimus meique ſtudioſiſſimus Dominus Profeſſor *Scheurerus* codicem manuſcriptum, in quo eadem verba authentica leguntur.

præſenti

præſenti inſtituto longius, quam par eſt, me abducerent, ſi iis immorari vellem; neſcio vero etiam, an ea uberiorem diſquiſitionem mereantur; agnovit ſane ex ipſis Pontificiis Vir vaſtæ eruditionis & ſæpius a me citatus, *Richardus Simonius*, frivolas eſſe *Morini* rationes, quibus hic contra Proteſtantes diſputat, easque ſtudio Partium originem debere. Operæ pretium erit, ipſa *Simonii* verba huc tranſcribere ex verſione Anglicana (librum enim Gallice ab eo conſcriptum ad manus non habeo) Hiſtoriæ Criticæ N. T. Ed. Londinenſi pag. 45: *Morinus hath alſo objected the Teſtimony of this Deacon under the Name of St.* Ambroſe *againſt the Proteſtants, who reject the vulgar to adhere altogether to the Greek or Hebrew Copies; but ſince all the reaſons alledged by him are weak and frivolous, they deſerve no regard; for when a Diſpute ariſeth concerning the true Reading of a Book, it is requiſite to conſult ancient Copies thereof, without declaring for any Part.* Quæ verba ita latine reddo. *Morinus quoque objecit teſtimonium hujus Diaconi ſub* Ambroſii *nomine* (* *Hilarii* ſcilicet, cujus commentarii in Epiſtolas Pauli diu pro fœtu *Ambroſii* habebantur)

* De hoc quippe *Hilario* notandum, illum textum Græcum ita extenuaſſe, ut ſubinde, etiam in dogmatibus maximi momenti, Latinam Eccleſiæ verſionem ei prætulerit; quod exemplo loci Romanorum C. 5. v. 13. probat *Simonius*, ad quem brevitatis ſtudio Lectorem remitto.

contra Proteſtantes, qui rejiciunt vulgatam, & toti recumbunt in Textu Græco atque Hebraico; verum quia omnes ab eo propoſitæ rationes infirmæ ſunt ac frivolæ, attendi non merentur; nam ſi aliqua oritur diſputatio de vera atque genuina alicujus Libri lectione, neceſſarium eſt, ut ejus antiquiſſima exemplaria conſulantur, omni partium ſtudio procul faceſſere juſſo. Egregie ſane! optandum modo fuiſſet, ut & *Simonius* ipſe ubique idem præſtitiſſet; fit ſane partium ſtudio, quando magis auctoritate hominum quam libero rationum examine diſputatur, ut Viri eruditiſſimi (in horum enim numerum omnino *Morinus* & *Simonius*, magna in Eccleſia Romana Nomina, mihi referendi videntur) ad claram veritatis lucem quandoque volentes quaſi cœcutiant; atque ex illo fonte etiam loco ſolidarum rationum plerumque non niſi criminationes & calumniæ enaſcuntur; *Morinus* certe in præſenti diſputatione illarum admodum prodigus eſt contra Proteſtantes; qua liberalitate nihil magis illiberale ac temerarium eſſe exiſtimo. Videntur enim illi, qui ita temere & ſine ulla circumſpectione diſſentientes iſtiusmodi criminationibus onerant, ſupremam in rebus fidei DICTATURAM affectare, utique non hominibus, ſed Deo relinquendam. Aliud longe ſuadet charitas Chriſtiana, quam Chriſtus & Apoſtoli nobis imitandam præſcripſere. Sed ſunt, quorum facta magis *Inquiſitioni Hiſpanicæ*, quam manſuetudini Chriſti ejusque Diſcipulorum reſpondent. Quod ſi vero ii omnes ſtatim ſunt

Hære-

Hæretici, qui a talibus utcunque diſſentiunt, quidni eos & homines eſſe negant, quia vultum habent ab ipſis diverſum?

§. 22. Dominus *Dupinius*, Clariſſimus quondam Doctor *Sorbonicus* Pariſienſis, de præſenti quoque codice Regio diſſerit in ſuis Diſſertationibus Præliminaribus Biblicis Gallice conſcriptis Tom. II. pag. 75. Ubi primo ſatis mirari non potui, quod Vir doctiſſimus ait, *Theodorum Bezam* hunc codicem, olim *Claromontanum*, (cujus, ut vidimus, *Beza* in annotationibus in Nov. Teſtamentum jam anno 1564 Pariſiis in lucem editis toties meminit) beneficio *Dominorum Puteanorum* accepiſſe; lapſus eſt ſatis lepidus in Chronologia, qui fidem excedere videtur. Verum hæc ſunt propria *Dupinii* verba. *Theodore de Beze trouve un manuſcrit Grec & Latin des quatre Evangiles & des Actes dans le Monaſtere de S. Irenee de Lyon; il eut auſſi par le moyen de Meſſieurs du Puy un autre manuſcrit de même nature des Epitres de S. Paul, qu'il appelle l'Exemplaire de Clermont, qui peut paſſer pour la ſeconde partie de l'Exemplaire de Lyon.*

- - - ſic rerum evertitur ordo!

§. 23. Quæris, qui factum ſit, ut hunc anachroniſmum commiſerit Cl. *Dupinius*? en Tibi meam de iſta re conjecturam. Habuerat ille ante oculos *Morinum*, quem & ſubinde citat; is dicit, quemadmodum & ſupra obſervavi, codicem hunc *Claromontanum*, hodie *Regium*, tandem in *Fratrum Puteanorum* manus deveniſſe; *Dupinius* ergo, quaſi re bene

geſta, exinde annotat, codicem iſtum a Domi-
nis *Puteanis* accepiſſe *Theodorum Bezam*, quod
nec dicit *Morinus*, nec rei natura patitur: non-
dum enim nati erant *Puteani* Fratres, cum jam
diu antea hunc codicem laudaſſet *Beza* in notis
ad N. Teſt. ita &

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Verum hoc Viro de re literaria præclare me-
rito, totque, cum viveret, laboribus obruto
omnino ignoſcendum.

... *Veniamque damus petimuſque vi-
ciſſim.*

Idem Vir Clariſſimus judicium dat de codice
noſtro, ut & *Alexandrino* & *Cantabrigienſi*,
& ait inter alia, illos non ab Auctore Græco ſed
Latino originem traxiſſe; ratio, qua id probat,
mihi non ſatis ſolida videtur; nempe quod in
iſtos Codices plures irrepſerint errores. Verum
annon & inter Græcos imperiti fuerunt Libra-
rii æque ac inter Latinos? deinde iſtas mendas
non oſtendit *Dupinius*, ſed ex aliorum fide ſup-
ponit: verum ut de Codicibus, *Alexandrino*
& *Cantabrigienſi*, quippe ad meum inſtitutum
non pertinentibus, nihil dicam; noſter Regius
ſane a *Theodoro Beza* emendatiſſimus vocatur;
& quæ in eo remanſerunt mendæ, magis in La-
tina translatione quam Græco textu adparent.
Dicit porro *Dupinius* Codicem Regium ex
latina Eccleſiæ translatione fuiſſe deſcriptum,
ſcilicet ex illa hypotheſi, quod hunc Codicem
Latinus quispiam exaraverit, non Græcus. Sed
quicquid hujus ſit, vellem ſcire, quamnam Eccle-
ſiæ translationem hic intelligat Vir Clariſſimus?

ſine

ſine dubio non illam *Hieronymi*, utpote a qua plurimum diſcedit; neque illam famoſiſſimam, quæ vulgo *Italica* dicitur; nam talem communem Eccleſiæ verſionem unquam extitiſſe, ex ipſis negant Pontificiis *Maldonatus*, *Arnaldus* & alii; & horum quidem ſententiæ ſatis patrocinari videtur, quod Patres Latini, ut *Tertullianus*, atque *Cyprianus* aliique plerumque verba Scripturæ ex Græcis fontibus citant, eaque ſuo marte Latine reddunt: quod non feciſſent, ſi tum temporis communis aliqua translatio in Eccleſia uſitata fuiſſet. Denique & hoc notandum, hodiernam vulgatam a Codicis præſentis textu tum Græco tum Latino plurimum diſcedere, ut & ſupra jam p. 30. id allato ſpecimine comprobavi, plura autem (neque enim jam in hæc prolixius deſcendere licet) ejus rei teſtimonia qui deſiderat, adeat ipſum *Theodorum Bezam* in Commentario ad Epiſtolas Paulinas, & *Richardum Simonium* in citata jam Hiſtoria Critica N. T. ubi ex codice noſtro allatis exemplis probat, vulgatam *hodiernam* ei in plurimis diſſimilem eſſe; quæ ideo hic denuo inculcanda cenſui, ut exinde videat benevolus Lector, fruſtra *Morinum* ex iſto Codice loca conglomeraſſe contra Proteſtantes, a quibus communis lectio Græca diſcedit; cum idem & in *Vulgata*, (ſi quidem eam ita appellare audeo *) obſervetur.

* Non fruſtra hæc a me dicta ſunt; quippe proprie ea eſt vulgata verſio, quando ex Græcis vel Hebraicis fontibus translatio fit in linguam etiam vulgo notam;

§. 23. Porro inter Scripturæ Codices referendus eſt, qui inde ab Urbe *Conſtantinopolitana* in Regiam hanc Bibliothecam apportatus eſt, curante *Huraltio Boiſtallerio*, qui eum ibi ſoluto centum coronatorum pretio comparavit; complectitur ille Catenam in pſalmos, & ſiſtit more veteribus uſitato varias in paginis figuras atque imagines, quibus acta Davidis ante ingreſſum Regni eleganter expreſſa continentur. Hunc Codicem nobis delineat Vir Cl. *Montfauconius* in Palæographia, quæ in omnium manibus verſatur.

§. 24. Nec ſilentio prætereundus Codex Copticus Evangeliorum, in quo actus Cœnæ in pictura repræſentatur, quam Diſcipuli a Chriſto inclinato ad terram corpore accipientes

namque & in hujus uſum Deus verbum ſuum revelavit, atque Laicis non minus quam Clericis cognitio ſalutis, quæ ex Scriptura hauritur, neceſſaria eſt. Atque hæc erat antiquiſſima origo omnium verſionum tum Orientalium tum Occidentalium in Eccleſia primitiva; ipſe etiam *Simonius* de verſione Italica loquens, quam ſupponit, fatetur, eam cum maxima pars Italicæ nationis converteretur, in uſum atque lectionem ejus fuiſſe exaratam; qua ratione tanquam proprio gladio ipſum jugulat Auctor Anglus in præfatione translationis Hiſtoriæ Criticæ N. T. & ſane a ratione atque a puriſſimis primitivæ Eccleſiæ inſtitutis alieniſſimum mihi videtur, quod Eccleſia Romana Scripturæ omnium uſui deſtinatæ *Vulgatam* verſionem nominat, quam tamen non niſi Eruditi legere poſſunt. Quod de verſione dico, idem quoque de cultu in lingua ignota habendum.

ſiſtuntur. Mirum ſane eſt, quod Vir acuti cœteroquin ingenii *Richardus Simonius* exinde concludat, * recte omnino probari, quod in adoratione Hoſtiæ Cophtæ cum Pontificiis conſentiant. Verum quia ex pictura hæc ratio petita eſt, ea ſimulacrum potius rationis quam ſolida ratio dici meretur. † Deinde ille

* En propria *Simonii* verba: *on y trouve une figure de notre Seigneur, qui donne ſon Corps a ſes Apotres, dans la derniere Cene, qu'il fit avec eux, ils le recoivent debout, etant ſeulement inclinez, a la maniere des perſonnes, qui adorent. Les Catholiques inferent de la* AVEC RAISON, *que les Cophtes adorent Jeſus Chriſt dans l'Euchariſtie.* Vid. Bibl. Critique Tom. IV. pag. 108.

† Notum quippe eſt, quod vulgo ajunt:

- - - Pictoribus atque Poetis
Quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Certe qui ex pictis imaginibus argumenta deducit, Theologica inprimis, idem mihi agere videtur, ac ſi quis ætatem Evangeliſtæ *Joannis* ex imperitiſſimorum pictorum imaginibus vellet æſtimare, qui eum ſubinde ut *Juvenem* repræſentant, cum tamen certum ſit, eum ætate omnes Apoſtolos ſuperaſſe, atque in extrema ſenectute Evangelium ſuum ſcripſiſſe. Si vero tanti ſunt apud *Simonium* Pictorum imagines, quidni & animo expendit rationem illius Pictoris, qui, cum ex eo quæreretur, cur Apoſtolum *Petrum* facie rubrum pinxiſſet, reſpondit: *quia ipſe rubore ſuffundatur, quod Romæ tam malos habeat ſucceſſores.* Præterea & injurius eſt *Simonius* in *Eccleſiam Anglicanam*, quod ei Liturgiæ mutationem imputat, quia ſub Rege *Carolo II.* declaravit, quod *genuflexio* in actu Communionis nullum erga panem cultum religioſum connotet, utpote qui nun-

incurvationis actus non ſtatim adorationem includit; quod & ipſius *Simonii* verbis oſtenditur; dicit enim pag. 110. "Soit qu'on com-"munie à genoux, ou debout, on ne laiſſepas "d'adorer; ergo ratio ejus ab incurvatione petita nihil probat. Neque apud populos orientales inclinatio corporis generatim eſt adorationis nota, quippe quæ honoris cauſa & ipſis hominibus ab iis præſtatur. Cæterum, qui Cophtis in articulo ſacræ Cœnæ ſententiam Eccleſiæ Romanæ tribuunt, eodem modo ſuam operam perdere mihi videntur, ac illi, qui Græcos hic in ejus partes vocant; quod quam ſit a veritate alieniſſimum, proxime poſt Viros eruditiſſimos, qui jam in hac arena deſudarunt, nobis oſtendet Teſtis oculatus, Vir digniſſimus, Dominus *Covelius*, qui ex longa, quam *Conſtantinopoli* in hiſce rebus acquiſivit, experientia, fidem Eccleſiæ Græcæ genuinis atque authenticis documentis repræſentabit.

§. 25. In eadem Bibliotheca habetur exemplar Græcum Epiſtolæ *Leonis* Papæ ad *Pulcheriam Auguſtam*, in qua de rebus in *Epheſina* Synodo male geſtis, inprimis de *furore Dioſcori* Epiſcopi *Alexandrini*, votiſque Epiſcoporum metu ab eo extortis acerbiſſime queritur. Specimen ejus ſuppeditat *Cotelerius* in Monumentis Eccleſiæ Græcæ Tom. I. pag. 54. & pauculas annotationes addit pag. 722. ubi Vir Cla-

quam transmutetur; at quænam hic quæſo variatio eſt, cum conſtet, hanc ſemper *Eccleſiæ Anglicanæ* a Reformationis tempore mentem atque ſententiam fuiſſe?

riſſimus

riſſimus caſtigat Græcum interpretem, quod πίςεως ῥωμαικῆς reddiderit pro *Sede aut fide Regia*, uti habetur in quibusdam edit. Lat. hujus Epiſtolæ. Verum ego lectionem Græcam genuinam, Latinam vero ſuppoſititiam eſſe, arbitror. Primo enim hic commiſcentur, quæ nullum plane inter ſe nexum habent; *ſede aut fide Regia*; ſi vero ex his duobus alterutrum eſt eligendum, dicant quodnam? ſi *ſede Regia*; atqui de hac nulla tum in Synodo Epheſina quæſtio agitabatur; neque in præſenti epiſtola quicquam legitur, quod eo referri poſſit. *Sedes etiam Regia* (Romana) tum temporis inaudita vocabula erant; licet *Leonem* jam papizaſſe, bene norim. Alterius vero lectionis, *fideRegia*, nullus plane eſt ſenſus, eaque minime attendi meretur; apte vero reſpondent verba ῥωμαικῆς πίςεως ſcopo *Leonis* & contextui totius Epiſtolæ, in qua conqueritur, Synodum Epheſinam usque ad *ſubverſionem ipſius fidei* proceſſiſſe, petitque, ut *Pulcheria* ſuam interponat auctoritatem, ut coacto in *Italia* Concilio, quod ab Imperatore convocari humillime petit, absque *fidei* vulnere ac religionis injuria in pacem Dei redeant, qui per potentiam ſubſcribere coacti ſunt ſacerdotes, & ſolum auferatur *error*. Dum vero hanc *fidem Romanam* vocat, loquitur more Epiſcopis Romanis uſitato; & quia hic de *Eutyche* agitur (hic enim in Synodo *Epheſina* (ſecunda) fuerat abſolutus, *Flaviano* innocentiſſime damnato;) iſta appellatione alludit ad fidem & Confeſſionem *Petri: Tu es Chriſtus* &c. quibus verbis erro-

rem Eutychis firmiſſime refutari poſſe, crediderat. Unde in eodem argumento alibi, poſtquam eadem hæc verba *Petri* recitaſſet, ait: *Quod ſi Eutyches intelligeret, ac vivaciter crederet, nequaquam ab hujus fidei tramite deviaret.* Recte! *utinam vero nec ipſi Pontifices Romani ab eo tramite deviaſſent!*

§. 26. Quod Libros impreſſos attinet, multæ vetuſtiores atque elegantiores Editiones hic inveniuntur; & vero facile judicatu eſt, in tanto numero, quem ſupra indicavi, præſtantiſſima omnium linguarum ac Scientiarum monumenta contineri, ut Regiam hujus Bibliothecæ prærogativam expendenti plane dubium atque anceps videatur, utrum eam Codices manuſcripti an libri impreſſi potiſſimum commendent. Adeo omnia ibi maxima adparent & ſumma. Inter editiones vetuſtiores hic indicare juvat Biblia *Moguntina*, impreſſa anno 1462. *Veneta* anno 1471. & 1477. ad cujus finem legitur: *Fu impreſſo queſto Volume nel alma Patria de Venetia per Maeſtrio* Gabriel de Piero Treviſano &c. *conf. R. Simonium H. C. N. T. Lond. p. 13.* Pars Pſalterii Gallice reddita & *Carolo VIII.* dedicata; in cujus Prologo hæc verba leguntur, quæ omnino hic referri merentur; ut pateat, quæ Gallice ſcribendi ratio tum temporis in uſu fuerit: *Combien que* Monseigneur *S. Auguſtin dit, que le Prophete Royal David ait eté acteur & compoſiteur de tous les Pſeaumes contenus ou Pſeautier. Toutefois* Monseigneur *S. Hierome tres*

* Vid. Ep. Leon. ed. Lov. p. 12.

ſoigneux

ſoigneux ou texte de la Sainte Ecriture, pourquoy en ce cas on doit adjouter grande fois & credence a luy, dit le contraire. Nimis prolixum foret, ſi hic plures ex vetuſtioribus editionibus recenſendæ forent, quarum numerum exhibet *Labbeus* in Catalogo librorum, qui ante annum 1500. impreſſi ſunt. Ea quoque pulcherrimis, quæ ex ſplendidiſſima Typographia Regia prodierunt, Editionibus ſuperbit, quarum nonnullas ex prioribus hic annotare juvat. Huc pertinent Biblia Sacra Editionis vulgatæ in fol. 8. Vol. A. 1642. ead. in oct. Nov. Teſtamentum Græcum in fol. idem Lat. in fol. 2. Vol. *Bernardi* Opera in fol. 6. Vol. Anno 1640. Conciliorum Collectio Regia in fol. 37. Vol. Anno 1643. *Le Cointe* Annales Eccleſiaſtici Francorum in fol. 8. Vol. 1665. Parva Pietatis officia in 4. 2. Vol. Anno 1643. *Virgilii Maronis* Opera in fol. Anno 1641. *Horatii Flacci* Opera in fol. Anno 1642. *Juvenalis* Satyræ in fol. *Terentii* Comœdiæ, & plura alia.

§. 27. Nec ſilentio prætereundi ſunt duo libri hodie rariſſimi, qui in hac Bibliotheca inveniuntur; ut *Michaelis Serveti* liber *de erroribus Trinitatis*; & *Optatus Gallus de cavendo Schiſmate*. De primo conſtat, eum Genevæ ob Hæreſin combuſtum fuiſſe. Sunt vero hujus libri duæ editiones, altera de anno 1531. altera 1553. poſterior vix amplius hodie invenitur. Fuit olim, affirmante *R. Simo-*

nio

nio.* ejus quoddam exemplar in Bibliotheca Baſileenſi, quod nunc in Dublinenſi eſſe dicitur; prior vero editio, utut maxime rara, in quibusdam tamen Bibliothecis invenitur, & habetur ejus quoque exemplar in Bibliotheca *Colbertina*, quod regio adhuc præſtantius & perfectius eſſe apparet. Quod librum *Optati Galli* attinet, agit ille de *cavendo ſchiſmate*, atque in eo Autor alloquitur Eccleſiæ Gallicanæ Archiepiſcopos atque Epiſcopos, qui *Richelium* Cardinalem in Patriarcham totius Galliæ electuri dicebantur. Prodiit ille Pariſiis, licet Lugduni in titulo mentio fiat; at non novum eſt, ut loca genuina in librorum editionibus diſſimulentur, & fictitia ſubſtituantur; quod & de nomine auctoris habendum, qui non *Optatus Gallus* ſed *Herſen* dicebatur, eratque Cancellarius Eccleſiæ Metenſis. Notandum vero eſt, *Cardinalem Richelium*, atque cæteros Galliæ proceres nunquam ſerio de inſtituendo ejuſmodi Patriarchatu cogitaſſe, ſed quicquid tum temporis gerebatur, id fiebat unice ad terrendum Papam, atque ad retundenda pauliſper ejus fulgura ex pelvi; in quæ ira Pontificis tam facile exardeſcere ſolet. At nihilominus iſte *Optatus Gallus*, quaſi de Ultramontano non tantum Præſule, ſed de univerſa Eccleſia Romana bene mereri cupiens, unus loquitur pro omnibus, fœcundumque conſiliis pectus concutiens, concionem dirigit ad Clerum Gallicanum; in qua veluti ex omnibus locis Dialecticis

* Bibl. Critique Tom. I. p. 35.

per-

perſuadere ipſis conatur, ne ſchiſmatis crimen committant, a Capite Eccleſiæ ejusque centro ſeparationem faciendo, cum extra ejus ſinum nulla ſalus ſperanda ſit. At riſum hac ſua opera Pontificiis ipſis debuit, pluribus * certa-

* Mirum eſt, quot ſcripta brevi tempore contra librum iſtum prodierint, nec pigebit ea hic recitaſſe, ut videat benevolus Lector, quanto negotio homines, eruditi etiam, de lana caprina ſæpius certare ſoleant. Primo occurrit *Concilium Provinciæ Pariſienſis*, anno 1640. adverſus libellum, cui titulus, *Optatus Gallus*, de *cavendo ſchiſmate*. Huic adde *Apotrepticum* adverſus *Optatum Gallum* de *cavendo Schiſmate* ad Reverendiſſimos Eccleſiæ Gallicanæ Primates, in quarto, Pariſ. 1640. *De Conſenſu Hierarchiæ* & *Monarchiæ adverſus* Parænecticum opus *Optati Galli*, Schiſmatum fictoris; hæc refutatio ſex libros complectitur, & pro Autore agnoſcit *Iſaacum Habertum* Canonicum & Theologum Pariſienſem, in 4. Pariſiis 1641. Porro *Nicolai Rigaltii* Diſſertatio cenſoria ſuper editione Libelli Parænetici de cavendo ſchiſmate, in quarto, Pariſiis 1640. obſervations de *Philalethe* ſur un libelle, intitulé: *Optatus Gallus* qui regarde les Libertes de l' Egliſe Gallicane. *Joannis Samblancati*, Toloſatis, confutatio Parænetici de cavendo ſchiſmate, in octavo, Toloſæ, 1640. La Chimere defaite, ou Refutation du Livre *d' Optatus Gallus*, par *Sulpice Mandrini*, Sieur de Gazonval, in quarto, Paris 1641. idem liber in Latinam linguam fuit traductus, editusque ſub titulo: Chimæra exciſa, ſeu confutatio Libelli ſeditioſi, cujus Auctor, ut Schiſma Politicum excitet in Gallia, Eccleſiaſticum ſe fingit avertere, in quarto Pariſ. 1641. *Michaelis Rabardæi*, e Societate Jeſu, *Optatus Gallus*, de cavendo Schiſmate, benigna manu ſectus, tarde ſed aliquando, in 4. Pariſ. 1641.

tim

tim in ejus refutationem concurrentibus; quod ego tamen miror; nam ſi Autor iſte immaturo ingenii ſui fœtu ſchiſma cavere voluit, de quo, ut eventus quoque tulit, Præſules Gallicani non cogitabant, ſilentio potius, vel, ſi mavis, ipſo facto refutari commodiſſime potuit. Sed fit quandoque, ut homines ſcribendi occaſionem affectent; & præſens quoque argumentum nobis exhibuit ſpecimina, quod, qui ex affectu male ſcribunt, ex eodem vitio quandoque pejus refutentur. Cæterum hodie non metuendum, ne Pariſienſes in ſuum Patriarcham eligant Cardinalem *Noallium;* hic enim nutando jam ter & quater in Conſtitutionis negotio, plurimorum quoque favorem perdidiſſe videtur.

§. 28. In hac Bibliotheca alia adhuc rara & egregia ſe offerunt antiquitatis monumenta, digna omnino, quæ Lectori Benevolo hic communicentur. Huc inprimis referri debent reliquiæ ſepulcrales *Childerici* Francorum Regis, qui erat Pater *Clodovei*, primi Regis Chriſtiani, quæ anno 1653. *Tornaci* inventæ erant; occaſionem ſuppeditante cujuſdam ædificii fundatione in quodam cimeterio, ubi cum ad intimiores terræ receſſus fodiendo perventum eſſet, forte ſe laborantibus offerebant variæ monetæ aureæ, ducentæ argenteæ, cum pluribus

Quis non miretur, imo quis non doleat, tot Autores Pontificios contra unum librum ſcripſiſſe, quem iidem tamen pro Chimæra reputabant, & qui proinde contemni merebatur?

apibus

apibus aureis, aliisque antiquitatis monumentis, inter quæ notatu digniſſimum eſt caput bovis aureum, quod ſine dubio tum temporis Divinitatis ſimulacrum erat, cui *Childericus* religioſum cultum præſtabat: notam vero, ex qua cognoſcebatur, hoc eſſe revera *Childerici* Regis Sepulcrum, ſuppeditabat annulus aureus, ſuper quem forma capitis impreſſa videbatur cum inſcriptione:

CHILDERICI REGIS.

INVENTUM hoc inſigne antiquitatis monumentum primus ſibi vendicavit *Leopoldus Wilhelmus* Archi-Dux Auſtriæ, qui iſto tempore inferioris Germaniæ tractus imperio tenebat, Canonicis *Tornacenſibus* ei hoc petenti recuſare nolentibus; deinceps eo mortuo illud pervenit in manus Imperatoris, inde ad *Johannem Philippum de Schœnborn*, Electorem Moguntinum tranſiit, donec tandem ab hoc Regi Galliæ, *Ludovico XIV.* ad quem & præ ceteris *pertinere* videbatur, in peculium ceſſerit, qui illud in eodem loco, ubi hodie celebris hæc Bibliotheca conſpicitur, cuſtodiendum curaverat. Eſt illud obſervatu digniſſimum, maxime cum varia ad Hiſtoriam iſtius temporis pertinentia explicet, atque inter alia idololatriam, cui miſer iſte Rex addictus erat.

§. 29. Olim quoque theſaurus Numiſmatum rariſſimorum in eadem Bibliotheca ſervabatur, quæ poſtea Verſalias transportabantur, at nunc, mortuo ante aliquod tempus Domino

Simonio,

Simonio, Academiæ Inſcriptionum Socio, qui ea in cuſtodia tenuerat, Lutetiæ reddita, & D. *Deboſio*, meritiſſimo ejuſdem Academiæ Secretario, in commiſſis data ſunt; nec dubium eſt, quin ea propediem, ubi hæc Bibliotheca meliorem amplioremque locum nacta fuerit, in eadem rurſus collocentur, cum duabus famoſiſſimis *Sphæris*, a celebri *P. Coronello* conſtructis in uſum Cardinalis *d'Eſtrees*, a quo Regi *Ludovico XIV.* dono datæ fuerant, & quæ antea in domo Regia, *Marly* dicta, ſervabantur, hodie vero Pariſiis in arce Regia conſpiciuntur.

§. 30. Quod locum attinet, in quo hæc Bibliotheca hactenus ſervatur, notandum eſt, eam extare in domo quadam privata, in platea, quæ dicitur, *Vivienne*, non adeo longe diſtante a *via victoriarum*, Gallice, *place des Victoires*. Sed fatendum eſt, hunc locum non reſpondere præſtantiæ atque amplitudini hujus Bibliothecæ, neque hic adparere *dignum patellæ operculum*. Unde pridem in eo laboratum fuit, ut locus aliquis dignior in arce Regia ei daretur, qui & ei jam deſtinatus fuit; quem tamen brevi non occupabit; quin potius proxime transferetur in domum NEVERS dictam in *via Richelia*, ubi locus eam capiet ampliſſimus, atque tam pulchra Bibliotheca digniſſimus. Jamque cum adhuc Pariſiis eſſem, numerus librorum inibatur; impreſſorum curam gerentibus Dn. *Fourmondo*, Profeſſore Linguæ Arabicæ, & Societatis Inſcriptionum elegantiooriſque literaturæ Membro

digniſſimo, itemque Dn. *Deboſio*, ſupra jam laudato: manuſcriptis vero codicibus invigilante Domino *Joanne Boivinio*, Profeſſore Regio Linguæ Græcæ, & Academiæ inſcriptionum Socio eruditisſimo.

§. 29. Director hujus Bibliothecæ eſt illuſtrisſimus Vir, D. *Joannes Paulus Bignonius*, Abbas S. Quintini, Comes Conſiſtorianus, utriusque Academiæ Inſcriptionum atque Scientiarum Præſes; cujus ſplendidisſima in rem literariam & plane ſingularia merita, ipſius non minus, quam Majorum, ex quorum nobilisſima ſtirpe deſcendit, gloriam immortalitati conſecrarunt. Scilicet, quemadmodum Bibliotheca, cui ille præeſt, inter omnes reliquas, ita ille inter Eruditos Pariſienſes, principem locum tenet; præterea & hoc Viro ſummo in ſingulare decus & ornamentum cedit, quod literati omnes, iique non modo in Gallia nati, ſed exteri etiam in ipſo ſummum ſtudiorum Mœcenatem experiantur. Succesſit ille in hoc officio celebri Viro Dn. *de Louvois*, anno 1718. fatis functo. Secundum poſt eum locum tenet laudatus modo Dn. *Boivinius*, qui hoc Bibliothecarii munere jam per plures annos maximo cum honore multaque ſua gloria perfungitur. Notisſima ſunt Viri doctiſſimi ſcripta, quibus rem literariam illuſtrare ſtuduit; fallitur vero Auctor Germanicus in libro cui tit. *Sejour de Paris* p. 248. dum ei laborem de nova Joſephi Antiquitatum editione attribuit, de quo Vir doctisſimus nunquam cogitavit; ſed novi, ipſius Fra-

trem, qui itidem Academiæ inſcriptionum Socius eſt, atque eruditione gaudet celebri *Boiviniorum* nomine dignisſima, in iſto ſtudio pridem occupari, & optandum foret, ut fœtum, quem jam diu parturire videtur, tandem eniteretur; ſcio etiam, ipſius ſententiam eſſe, quod celebre illud Joſephi teſtimonium de *Chriſto* ſit authenticum atque genuinum, quam opinionem ſi deſtructis diſſentientium argumentis ſolide probaverit, nemo non fatebitur, eum de re literaria atque Eccleſiaſtica præclare meritum fuiſſe. Denique & aliquam hujus Bibliothecæ curam ſuſtinet Dn. *Tarnie* Doctor *Sorbonicus*, qui & peregrinantibus monumentum illud ſepulcrale *Childerici* monſtrat, de quo jam ſupra verba feci.

§. 32. Catalogus impreſſus hujus Bibliothecæ nullus adhuc extat; *Nicolaus Clemens*, qui olim huic Bibliothecæ præfectus erat, in eo conficiendo laboraverat, quem & pluribus voluminibus comprehenſum perfecit, ſed ille nondum typis commiſſus eſt; quod ut fiat, ad exemplum aliarum Bibliothecarum, atque inter illas Auguſto-Cæſareæ inprimis, omnibus votis expetendum, & Dominus *Boivinius* Bibliothecarius hodiernus, omnino ad hoc inſtitutum, ſi quisquam alius, longe aptisſimus videtur.

Cap. II.

De Bibliotheca Colbertina.

§. 1.

Post *Regiam* Bibliothecam *Colbertina* inter Pariſienſes facile princeps eſt, maxime ſi manuſcripta attendas, Græca præſertim; in quibus licet Regia inferior ſit numero, ad eam tamen codicum præſtantia proxime accedit; quippe & hic

Non in mole, ſed eſt in bonitate χάρις.

§. 2. Illa ſuam originem debet illuſtri Viro Dn. *Colberto*, olim Miniſtro & Secretario ſtatus, maximoque, dum viveret, eruditorum Mœcenati. Hic magnis curis multisque in hanc rem exactis impenſis Bibliothecam hanc adornavit, conſilia ſuppeditante celeberrimo deque re literaria meritisſimo Viro Dn. *Baluzio*, qui apud illuſtrem Dn. *Colbertum* Bibliothecarii munere diu cum ſumma laude fungebatur.

§. 3. Manuſcriptorum numerus aſſurgit ad novem, & librorum impreſſorum ad octodecim circiter millia. Inter codices manuſcriptos quaſi unus inſtar omnium commendari meretur ille rariſſimus, quique unicus eſt non modo in Gallia, ſed in Univerſa etiam Europa, nempe *de mortibus perſecutorum* liber; quod pretioſum antiquitatis monumentum, cum tot ſeculorum decurſu in pulvere latuerat,

 tandem

tandem Anno 1678. in lucem revocatum eſt cura & ſtudio clariſſimi Viri Dn. *Faucault*, qui tum temporis in Aquitania Regii Quæſtoris munus obierat. Inveniebatur vero in Moiſſiacenſi olim Ordinis S. Benedicti Monaſterio, quod & alias Abbatia mille Monachorum audiebat, jam vero a Canonicis ſecularibus poſſidetur. Codicem hunc in lucem protractum protinus Vir clariſſimus Dn. *Colberto* cum pluribus aliis inventis theſauris transmiſit, qui iſta munera literaria ſummo cum gaudio atque voluptate excipiebat. Dn. *Baluzius* vero ejus Bibliothecarius anno ſequenti 1679. hunc codicem *de mortibus perſecutorum* in ſecundo *Miſcellaneorum* Tomo edidit, eique *Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii* nomen præpoſuit, quanquam in Manuſcripto codice non niſi *Lucii Cæcilii* nomen legatur; multisque rationibus probare conatus eſt, hunc librum pro genuino hujus *Patris* fœtu habendum eſſe. Norunt eruditi, quanto quamque univerſali adplauſu hæc *Baluzii* editio fuerit excepta; lætiora enim accidere ſolent hominibus, quæ inopinato eveniunt; eoque lubentius itum fuit ab eruditis in *Baluzii* partes, quo pretioſiora antiquitatis monumenta * in hoc codice repoſita credebantur, ut & liber iſte ſuum Auctorem, &

* Quippe in hoc Codice de abdicatione Regni a *Diocletiano* facta, itemque de adventu *Petri* ad urbem Romam, demum ſub extremis *Neronis* temporibus, aliisque notatu digniſſimis eventibus documenta invenias. Confer omnino *Burneti* præfationem ad hujus libri Editionem Anglicanam.

hic

hic viciſſim, quippe tertii ſeculi meritiſſimus Pater, tam nobilis argumenti Librum ſua auctoritate ornare videretur. Unde & non modo plures Viri docti ad exemplum *Baluzii*, cum ſuis quibusdam commentationibus ulterius illuſtrarunt, ſed in plures quoque linguas transferri cœpit; conſtat præcipue, celeberrimum *Burnetum* eum præmiſſa erudita Præfatione Anglice reddidiſſe; ex qua lingua poſtea in Gallicam translata fuit. Tandem anno hujus ſeculi 1712. Vir clarisſimus atque doctiſſimus, *Nicolaus le Nourry*, Monachus Benedictinus Pariſienſis præſtantiſſimus, Auctorem hujus libri ex poſſesſione, qua diu jam quiete frui videbatur, ut quaſi præſcriptionem obtendere potuiſſet, diſturbare conatus eſt, atque rationibus probandum ſibi ſumſit, hunc librum plane non eſſe genuinum *Lactantii* fœtum; quanquam inficias ire noluerit, eum jam ab ignoto quodam Auctore, qui ſub initium ſeculi IV. vixerit, elaboratum. *Nourrii* ſententiam rejecit Vir Clariſſimus, Dn. *Dupinius*, atque *Baluzii* partes amplexatus eſt; hoc ſolum ei vitio vertens, quod paulo audacius integrum *Lactantii* nomen huic ſcripto præfecerit. Quæ cenſura mihi haud ſatis æqua atque juſta videtur; nam ſi, quod exiſtimavit Vir doctiſſimus, iſte liber a *Lactantio* profectus eſt, quidni & illuſtre hujus Patris nomen ei præfigere potuit *Baluzius*? Intereſt enim Reipublicæ Literariæ, in examinandis Veterum ſcriptis Auctorum nomina inquirere, quæ rite inveſtigata & pretium ipſis addunt, & Lectorum gratiam au-

 cupantur.

cupantur. Majori enim voluptate legimus ea, de quorum Auctoribus conſtat, quam quæ ab ignotis hominibus proveniunt. Ego lubens accedo *Baluzii* ſententiæ, & quod Clariſſimi *Nourrii* rationes oppoſitas attinet, earum examen ex induſtria ad alteram diſſertationis meæ partem remitto, ubi de ſtudio artis Criticæ abs me agetur. Ea vero, quæ hactenus dicta ſunt, jam aliquam hujus Codicis notitiam literariam dabunt, quibus illud adhuc addendum videtur, Codicem hunc ab imperitiſſimo *Librario* exaratum, quam plurimis infectum eſſe mendis; priora etiam verba temporum injuriam paſſa ſunt, ut multa deleta plane, nonnulla etiam ita obſcurata in eo deprehendantur, ut totum ſenſum hariolando vix aſſequi poſſis. Exinde vero etiam argumentum contra Cl. *Nourrii* ſententiam peti poſſe, ſuo loco oſtendetur.

§. 4. Vetuſtisſimus atque elegantiſſimus quoque Codex eſt n. 3084. exhibens nonnulla fragmenta ad textum Septuaginta Interpretum, prout in Hexaplis *Origenianis* extabat, pertinentia, de quo & Clarisſimus quondam *Grabius* in Epiſtola ad Clar. *Millium*, cum novam Septuaginta Interpretum editionem publico promitteret, verba fecit, eumque *Alexandrino* Codici in quam plurimis reſpondere contendit. Continet vero ille Codex duo tantum & viginti folia, quorum ſeptem ad librum *Exodi*, tredecim ad *Leviticum*, duo vero ad *Numeros* pertinent. De vetuſtate hujus Codicis ita judicat *Montfauconius* noſter, quod ille Codicem *Cæſareum*, de quo loquitur *Lambecius* in

Bibl.

Bibl. Cæſ. l. 3. pag. 2. & qui ſexti ſeculi eſſe creditur, antiquitate attingat plane; imo *Colbertino* nullum eorum, qui noti ſunt, vetuſtiorem putat. * Liceat tamen cum pace Viri doctiſſimi nonnulla modeſte ipſi opponere. Dixerat p. 193. *ævum Codicum qui* ANTE SEPTIMUM SECULUM *ſcripti ſunt, nulla poteſt* CERTA NOTA *diſtingui;* & tamen de Cæſareo loquens ait: *Dioſcoridis Codex ille Cæſareus, cujus Specimen dedit* Petrus Lambecius, *& nos dabimus capite ſequenti, ineunte* SEXTO SECULO *deſcriptus* eſt, UT EX NOTA ET INDICIO NON DUBIO liquet, atque huic Codici *Colbertinum* noſtrum non æquat modo, ſed præfert etiam, quippe quo *nullum ex iis, qui noti ſunt, vetuſtiorem putat.* Rurſus p. 184. fatetur, inter Codices vetuſtisſimos, qui ante ſeptimum ſeculum exarati ſunt, dari nonnullos, qui *notam* ÆTATIS præferunt, & pro exemplo citat *Codicem Julianæ Auguſtæ, vertente quinto aut ſexto ſeculo exaratum*, quibus verbis reſorbet, quæ antea dixerat, vetuſtatem codicum, qui ante ſeptimum ſeculum exarati ſunt, nulla plane ratione certo indagari poſſe. In eo tamen lubens accedo Viri doctiſſimi ſententiæ, quod ætas ex ſolis characteribus non ita facile hic determinari poſſit; eſt quippe aliquid, neſcio quid, quod iis, qui in codicibus vetuſtisſimis perſcrutandis diu multumque verſati ſunt, diſcrimen aliquod oſtendit; idque ſentiri magis atque uſu addiſci, quam verbis doceri poteſt.

* Vid. Palæogr. p. 187.

§. 5. Codex *Curtianus*, qui 800. annorum eſſe creditur, omnino etiam attendi meretur. De eo loquitur laudatus *Montfauconius* in Pal. p. 2. atque ex eo refutat Virum doctum, qui *Curtium* ſuppoſititium reputat, eumq; ſeculo demum decimo quinto poſt reſtauratas Literas a quodam Latini ſermonis perito conſcriptum exiſtimat. Non indicat nobis Vir Clar. nomen illius Viri Docti; * at novi ego, me a vero haud aberraturum, ſi dicam, eum ad Jeſuitam Pariſienſem, *Harduinum*, digitum intendere; ex iſto enim, cum Lutetiæ agerem, coram hoc Paradoxum, quod & ſcriptis publicis profiteri non erubuit, me audire memini, hodiernos eruditos valde credulos eſſe, quod ſibi perſuadeant, ea, quæ circumferuntur hodie, antiquitatis monumenta genuina eſſe; cum pleraque omnia conficta ſint; conſtat etiam, ipſum non niſi tres potiſſimum Libros, nempe *Bucolica Virgilii*, *Ciceronis Epiſtolas ad Familiares*, & ſuum denique *Plinium*, pro ſcriptis authenticis habere. At ubi manent, quæſo, Biblia Sacra, quibus nullum pretioſius Chriſtianis eſt concreditum depoſitum? ubi ſcripta Patrum, quæ ille, quippe Romanæ Eccleſiæ addictus, pro fidei regula ſequi

* Clarisſimus *Johannes Clericus* in Bibliotheca ſelecta etiam ſuſpenſus hæret, quis tecto iſto nomine intelligatur; at facile, credo, Auctorem divinare potuiſſet, qui *Harduini* Hypotheſes optime novit; & alio in loco ubi eas recenſet, de vocabulo CONOB tam felicem & ingenioſam interpretationem dederat. Vid. pro ſpecimine Tom. 17. Bibl. ſelecta pag. 378.

tene-

tenetur? Porro ſi omnis retro antiquitas ficta eſt, cur ipſe nobis plura habitorum inde ab initio Novi Teſtam. uſque ad præſentia tempora Conciliorum volumina edidit? ita enim ex propria ſententia Impoſtorem egit. Fruſtra etiam fuerunt ipſius Ordinis Socii, *Petavii*, *Sirmondi*, *Labbei*, magna inter Jeſuitas nomina, qui Antiquitatem ſuis ſcriptis illuſtrarunt. Aſt non credo, *Harduinum* ſerio ita ſentire; latet alius anguis in herba, quem forſan haud infeliciter detegere poſſem, ſi falcem in iſtam meſſem mittere, operæ pretium ducerem. Hoc autem cuivis ego facile conceſſerim, ea ſcripta, quæ antiquitatem redolent, quæque ab ipſis adeo Patribus profecta ſunt, non ſine prævio examine legenda eſſe; neque his, qui ineptiſſimus quorundam mos eſt, aſſenſum ob ſolam antiquitatem deberi; ſed tantum in iis adprobandum, quantum cum veritate eos convenire deprehenderimus. Quippe non ab antiquitate veritas, ſed a veritate antiquitas pretium mutuatur. Non eadem veritatis eſt ratio, quæ vini eſſe ſolet, ut, quod vetuſtiſſimum ſit, propterea pro optimo haberi mereatur. Veritas, fateor, prior eſt mendacio; verum hanc vetuſtatem non niſi a natura ſua repetit. Hic autem, quod notandum, non de factis Hiſtoricis (in his enim omnino antiquitatis attendenda ratio eſt) ſed de quæſtionibus dogmaticis loquor; ita certum eſt, fuiſſe ex Patribus quam plures, erroribus haud immunes; quorum ſententiam qui temere & ob ſolam antiquitatem amplecti vellet, is omnino perverſiſſimum de

hujus pretio judicium ferret; cur enim in veteribus id approbemus, quod in recentioribus parvi æſtimamus, vel rejicimus plane*? Ego ſane nullam hic æquitatem video. Unde porro notandum, quod in eadem Bibliotheca extent quædam ἀποσπάσματα ex ſcriptis *Origenis*, *Euſebii*, aliorumque Patrum Græcorum, quorum doctrina ſuſpecta erat; ubi ſæpius a Librario annotatum videas ad marginem, ψεύδη, quandoque etiam additum eſt ἀνάθεμά σοι, & ex illo quoque odio evenit, ut plurima Veterum ſcripta perierint, vel ſaltim inutilationem paſſa fuerint. Ita ex ipſis Pontificiis Maſſuetus, *Irenæi* Editor Pariſienſis, in Bibliotheca Jeſuitarum Collegii Ludoviciani, cujus *Harduinus* ſocius eſt, nonnulla *Irenæi* ſe inveniſſe teſtatur, ſed ea a Librariis plane & ex inſtituto truncata;

* His, quæ a me dicta ſunt, ampliſſime adſtipulatur magnus *Eraſmus* in ep. 175. ubi cuidam imperito, qui ipſi nullo idoneo fundamento auctoritatem Veterum objecerat, ita ſalſe reſpondet: *Quaſi illis plus veniæ debeatur, quod majores fuerint nobis; cum hoc potius debeatur imbecillioribus. Citius enim ignoſcimus puero quam Viro, & magis indulgemus* Auguſtino & Hieronymo *in his, quæ juvenes prodiderunt. Bellum vero Theologorum negotium, ſi tantum in hoc laborant, ut, quod a Veteribus utcunque dictum eſt, aliquo prætextu defendant. Si recte dictum eſt ab illis, cur nobis reprehenditur, quod in illis probatur? Si non recte, cur illos defendunt, nos in eadem cauſa criminantur? jam quale eſt, quicquid ab antiquis dictum eſt, tueri, aut certe ad multa connivere, in recentiorum libris nihil non calumniari?*

idque

idque exinde accidiſſe conjecit, quia *Irenæus* ob Chiliaſmum veteribus fuerit inviſus. * Ex quo

* Ob eandem rationem miratur etiam Clariſſimus *Montfauconius* in *collectione nova Patrum & Scriptorum Græcorum Euſebii Cæſarienſis, Athanaſii, & Coſmæ Ægyptii*, Diſſ. præl. p. 11, 12. quod in Bibliotheca *Seguieriana* & *Perroniana* Commentarios *Euſebii* in Pſalmos uſque ad centeſimum & decimum octavum pertingentes invenerit. *Nam plerique omnes*, inquit, *Graeci Euſebium, nec immerito, pro Ariano paſſim habuerunt. Codex autem ille temporum injuria poſtremis quinque pſalmis mulctatus eſt, nam in nonageſimum quintum deſinit, neque tamen ulterius quam uſque ad* 118. *&c.* & paulo poſt cum nonnulla ex *Catenis Regiis Euſebii* in Pſalmos quæ omnes in Pſalmo centeſimo decimo octavo deſinunt, adduxiſſet, pergit: *Unde conjectare forte licet, a multis jam ſeculis* Euſebii *Commentarios hac poſteriore ſui parte truncatos librariorum incuria fuiſſe. Quia ſcilicet ſcriptores illos, qui ob temeratam fidem male audiebant, non libenter exſcriberent; atque hinc etiam fuerit, quod Origenis, Theodori Heracleotæ, Apollinarii, Didymi, & Theodori Mopſueſteni commentarii in Pſalmos jamdiu exceptis Catenarum laciniis peſſum ierint. Hi quippe ſcriptores violatæ fidei ſive rei ſive ſuſpecti adeo peroſi Græcis erant, ut ne nomen quidem proferrent ſine indignantis animi ſignificatione.* Quid fiet ergo de conſenſu Patrum, quem pro regula fidei tenent Pontificii? Ceterum contradictionem quoque in his Viri Clariſſimi verbis deprehendo. Dicit, *Euſebii* Commentarios poſteriore ſui parte truncatos *librariorum incuria* fuiſſe? & continuo poſt hanc ejus rationem tradit: quia *ſcilicet ſcriptores temeratæ fidei* non *libenter exſcribebant*, & *quia plurimi Patres ita peroſi erant, ut ne nomen quidem ipſorum audire voluerint.* Ergo non *incuria* ſed *deſtinato conſilio* iſta loca truncata fuere a Librariis.

conſe-

confequitur, cum judicio atque examine Veterum Scripta legenda, & quæ bona retinenda, quæ mala vero rejicienda eſſe; plane ſecundum Apoſtoli monitum: probate omnia; & quod bonum eſt, tenete. Quemadmodum ergo *Harduinus* in eo peccat, quod totam Antiquitatem in dubium vocat, atque ſic Pyrrhoniſmum hiſtoricum introducit; ita alii in aliud extremum labuntur, ſuperſtitioſum quippe antiquitatis zelum; dum ſcripta veterum ita lambere videntur, ut etiam errores inde exſugere, præclarum ducant.

§. 6. Quod libros impreſſos attinet, magnus iſque præſtantiſſimus hic cernitur adparatus; inprimis vero plura ex primis editionibus exemplaria; ut Bibl. *Moguntina* Anno 1462. quæ bis hic ſervantur, Biblia *Noribergenſia* Anno 1478. *Euſebii* Hiſtoria Eccleſiaſtica Latina cum continuatione *Rufini Mantuæ* edita Anno 1479. &c.

§. 7. In eadem Bibliotheca plures ex *Thuanea* libri, & inter hos Codices manuſcripti inprimis ſervantur; de quorum præſtantia ex catalogo hujus ipſius Bibliothecæ impreſſo judicare eſt. *Colbertinæ* vero nullus in lucem editus eſt, quem jure a *Baluzio*, qui tam diu ei præfuit, expectavimus; niſi forſan dicere velis, ejus negotia privata tot & tanta fuiſſe, ut in Catalogo conſcribendo operam locare non potuerit. Quicquid hujus ſit, Bibliotheca *Colbertina*, ut omnes, qui Pariſiis degunt, eruditi optime norunt, tam præſtans eſt atque eximia, ut cum fraude Reipublicæ Literariæ conjun-

ctum ſit, ſi illa monumenta reticeantur, neque ullus eorum Catalogus in lucem emittatur.

§. 8. Hujus Bibliothecæ Poſſeſſor eſt Vir illuſtris, Dominus *de Seignelay*, Filius defuncti Domini *Colberti*, Paternæ gloriæ & virtutis æmulus; inprimis autem in eo Parentis veſtigia feliciter imitari videtur, quod non modo in augenda atque illuſtranda hac Bibliotheca ſtrenue laborat, verum etiam eruditis omnibus, atque exteris quoque facillimum in eam aditum concedit, liberumque ejus uſum permittit, ut proinde de eo dicere neutiquam poſſis, in quo Iſidorus Peluſiota reprehendit Simplicium: *Idem facis, quod ii, qui frumentum recondunt, ac tineas alunt, nam libri quoque tinearum patres ac nutritii fiunt, cum vinciuntur. Quare opibus tuis utere, & eruditionem ne læde; nimirum hic quoque Comicos ſales Tibi colligens, dum librorum corruptor aut librorum ſepulcrum aut tinearum altor adpellaris.*

CAP. III.

De Bibliotheca San-Germanenſi ordinis Benedictinorum ex Congregatione S. Mauri.

§. I.

POſtquam in præcedentibus duobus capitibus de Bibliotheca *Regia* atque *Colbertina* paulo uberius pro inſtituti ratione diſſerui; jam in ſequentibus brevior ero, ne præſcriptos Diſſertationis limites plane tranſgredi videar.

§. 2.

§. 2. Succedit ordine Bibliotheca *San-Germanenſis*, quæ primum formata fuit per *P. Dubrevil*, ejuſdem Benedictinorum ordinis, qui hoc monaſterium inhabitant, Socium, defunctum Anno 1614. Emit ille plures libros, in quibus aliquod pretium repoſitum erat, maxime antiquiores editiones, quarum ſat ingens numerus in hac Bibliotheca conſpicitur.

§. 3. Aucta fuit deinceps cura & induſtria ordinis hujus Sociorum, qui ſubinde digniora literarum ſubſidia, ea maxime, quæ ad rem Eccleſiaſticam pertinebant, ſibi comparare allaborarunt. Denique eum, quo hodie cernitur, perfectionis gradum adepta eſt donationibus Virorum Illuſtrium, quales fuere Dominus *Darrhius*, Juriſconſultus, Dn. *Vaillant*, Medicus, Dn. *Baudrant*, præſtans Geographus, & qui primus dici merebatur, Dn. Abbas *Etreus*, a Rege ad Archi-Epiſcopalem dignitatem promotus, ſed fatis præventus 3. *Mart.* Anno 1718. Hic excellentem ſuam Bibliothecam, conſiſtentem ex 12. mille Voluminibus, hujus Abbatiæ incolis teſtamento legavit; unde ea hodie jure iis accenſetur Bibliothecis, quæ inter Pariſienſes maxime eminent. Conſiſtit ea ex 42000 circiter Voluminibus, inter quæ ſat amplus Codicum Manuſcriptorum numerus adparet, qui, uti fidem mihi fecit ipſe Bibliothecarius, ad 12000 extenditur.

§. 4. Inter hos Codices Manuſcriptos multi admodum præſtantes numerantur. Huc pertinet Codex Epiſtolarum S. Pauli, membranaceus, in quo ſingulæ paginæ duas referunt columnas,

mnas, altera Græcum Textum, altera vero Latinam Verſionem exhibet. Hic Codex e Regio exemplari, de quo ſupra diſſerui, deſcriptus eſt, eique in quam plurimis exactiſſime reſpondet; in hoc autem potiſſimum ab eo differt, quod ille nullos habuit origine ſua accentus atque ſpiritus, ſuntque illi ſecunda manu adjecti, hic vero, nempe Codex San-Germanenſis, primo accentus atque ſpiritus habuit. Et obſervat *Montfauconius*, qui hunc Codicem ſeculi ſeptimi vel octavi eſſe putat, hoc eodem tempore, quo Codex iſte fuit exaratus, accentus atque ſpiritus introduci cepiſſe.

§. 5. Sunt porro alii vetuſtiores Codices in hac Bibliotheca; ut Biblia tempore *Caroli M.* anno 889. exarata, quod laudatus antea P. *Dubrevil* ſua manu in iis annotavit. Pſalterium *Davidis*, quod ultra mille ducentos annos habere dicitur. Biblia Latina a *Juſtiniano* Regi *Childeberto* ex oriente miſſa. Habetur & in hac Bibliotheca crux quædam argentea, cujus Inſcriptio verſibus Jambicis exhibetur, quæ ita habet:

Ἰησοῦς Χριστὸς,

Σταυρῷ παγεὶς ὑψώσας ἀνθρώπων φύσιν

Γράφει Κομνηνὸς Μανουὴλ στεφηφόρος.

Ex qua inſcriptione ſatis clare colligitur, hanc crucem ſua auctoritate atque mandato perficiendam curaſſe Imperatorem, *Emanuëlem Comnenum.* Hoc antiquitatis monumentum Benedictini Monachi a *Sereniſſima Duciſſa Palatina* dono acceperunt. In hac Bibliotheca

etiam

etiam exemplaria quædam cernuntur tabularum ceratarum, in quibus apud Veteres ſcribi ſolitum fuit.

§. 6. Tandem illud notandum, quod doctiſſimi PP. hujus Ordinis depoſitarii quoque ſint præſtantiſſimorum manuſcriptorum Bibliothecæ *Coisliniana*, cujus nobis ante aliquot annos eruditum pro more ſuo catalogum dedit laudatiſſimus P. de *Montfaucon*, ex quo nonnulla, cum id inſtituti noſtri ratio plane poſtulet, huc tranſcribere liceat. *Petrus Seguierius*, Franciæ Cancellarius, pro inſigni Literarum Literatorumque ſtudio Codices manuſcriptos, bonitate atque elegantia præſtantes, undecunque miris infinitiſque curis magniſque ſumtibus colligi curavit; nec Latinos modo & Gallicos, verum orientales quoque varii generis, Hebraicos nimirum, Syriacos, Arabicos, Copticos, &c. maxime autem Græcos, non minus abundanti numero quam præſtantia excellentes comparavit; conſtitutis hanc in rem Viris doctis, & qui huic muneri pares videbantur; quibus non modo per Europam, ſed per alias Orbis partes proficiſcendi provinciam demandavit. Ea poſt mortem *Seguierii* hæreditario jure ceſſit illuſtrisſimo Viro Dom. *Henrico Carolo du Cambout de Coislin*, Duci & Pari Franciæ, Epiſcopo Metenſi, & laudati P. *Seguierii* Pronepoti ex linea Materna; unde hodie *Coisliniana* appellatur, olim *Seguieriana* dicta. Numerus Manuſcriptorum Codicum omnium abit ad 4000, inter quos quadringenti Græci præſtantisſimi atque maximam partem Vetuſtisſimi cernun-

cernuntur ; habetque, quod omnino notandum, hæc Bibliotheca illud peculiare, quod dimidia fere iſtorum Codicum Græcorum pars ex monaſteriis montis *Atho* fuerit deſumta; quales Codices antea, affirmante *Montfauconio*, in nulla ex Bibliothecis Pariſienſibus extabant. Inter vetuſtiſſimos Codices reputatur, qui extat n. 202. membranaceus, conſtans foliis 14. complectens partem Epiſtolarum Pauli, isque Seculi v. vel VI. eſſe putatur. Item Cod. 185. exhibens plura *Cypriani* opera, expreſſus charactere unciali quadrato & rotundo, & qui ſexti Seculi ætatem ferre videtur. Sunt etiam multa ibidem ἀνέκδοτα, & numero circiter quadraginta, quorum ibidem Catalogum nobis exhibet *Montfauconius* in libro ſupra laudato.

§. 7. Bibliotheca hæc duos habet præfectos, quorum uterque ex ejusdem conventus ordine eſt ; unus appellatur *Antonius La Prade*, & alter, *Fr. Martinus Bouquet*, uterque Viri eruditi & exterorum ſtudioſiſſimi ; poſterior jam occupatur in nova Editione operum *Joſephi*, quæ & lucem modo in Anglia adſpiciunt, auctore *Hudſono*, ante aliquod tempus fatis functo.

CAP. IV.

De Bibliotheca Mazariniana.

§. I.

HÆC præſtantiſſima Bibliotheca ſuam originem debet liberalitati atque ſtudio defuncti

functi Cardinalis *Mazarini*, cujus & magnificum Mauſoleum in Eccleſia Collegii *Mazariniani*, ab eo pariter fundati, adhuc hodie conſpicitur.

§. 2. Ab hoc itaque ſuo fundatore hæc Bibliotheca dicitur *Mazariniana*; eadem quoque vulgo Bibliotheca *Collegii Quatuor Nationum* audit, nimirum a loco, ubi ea ſervatur, quod eſt laudatum modo Collegium in uſum quatuor Nationum a Cardinali *Mazarino* inſtauratum.

§. 3. Utebatur Vir Eminentiſſimus in fundanda hac Bibliotheca conſiliis atque induſtria celeberrimi *Gabrielis Naudæi*, cujus erudita ſcripta, maxime Additamenta ad Hiſtoriam Ludovici XI. & liber Gallicus exiguæ molis, ſed magnæ utilitatis, *Avis pour dreſſer une Bibliotheque*, aliaque plura, ſatis nota ſunt. Hic demandato Bibliothecarii munere ſtrenue perfungebatur, atque auſpiciis Cardinalis *Mazarini* varia per Europam itinera faciebat, ad conquirenda undique ſubſidia literaria, quæ iſtam Bibliothecam non augere modo, ſed ornare etiam poſſent; & jam tum eo excrevit numerus Voluminum, ut amplius 40. millia ibi cernerentur.

§. 4. Sed quemadmodum & libri & ipſæ etiam Bibliothecæ ſua fata habent, ita hæc quoque *Mazariniana* ſortem ſui Poſſeſſoris infelicem experiri viſa eſt, cum, *Mazarino* ab Urbe Pariſienſi ejecto, ejus Bibliotheca juſſu *Parlamenti* undique diſtraheretur atque divenderetur, Manuſcripti vero Codices *Regiæ*

Biblio-

Bibliothecæ cederent ; ringente licet *Naudæo* qui & eo nomine ſcriptum opponebat, ſub titulo: *Avis a Nos Seigneurs du Parlement ſur la vente de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin;* quod ſcriptum prodiit Anno 1652. in quo omni opera atque ſtudio Parlamento Regio perſuadere conatur, ne iſtam præſtantem Bibliothecam ita diſſipari patiantur ; & jure merito has preces interpoſuit *Naudæus*, cui de theſauris iſtius Bibliothecæ optime conſtabat ; quos tanto labore collectos, una vice diſtrahi in vulgus & divendi, non ipſe modo, ſed reſpublica literaria omnis ægre ferebat.

§. 5. Atque hæc prima Bibliothecæ *Mazarinianæ* quaſi epocha eſt. Altera incipit ab ejus reſtauratione, quæ facta eſt, poſtquam Cardinalis cum Parlamento in gratiam rediiſſet, atque Lutetiam revocatus eſſet. Tum & denuo hujus Bibliothecæ in priſtinum ſtatum reſtituendæ conſilium iniit, quod nec ſucceſſu caruit, factis in hanc rem largiſſimis impenſis, & juvante Virorum doctiſſimorum induſtria atque conſiliis, maxime *Johannis Deſcordii*, Canonici, qui emta Bibliotheca *Beſſiana* huic *Mazarinianæ* illuſtrem acceſſionem fecit, jamque hodie ea 37000. circiter Volumina complectitur ; manuſcripti vero Codices ibi nulli comparent, omnibus ex illa in Regiam Bibliothecam translatis.

§. 6. In hac Bibliotheca ſatis ingens conſpicitur numerus primarum editionum, inter quas maxime hic referendam cenſeo primam Editionem *Plinii* anno 1469. *Venetiis* impreſ-

ſam, quam ſæpius in laudata hac Bibliotheca conſpexi, & proinde erraſſe exiſtimo Auctorem relationis Literariæ Gallicæ, cui titulus, *Memoires de Literature*, qui Tom. I. §. 11. p. 277. dicit: *il paroit de plus, que cette premiere Edition de Pline eſt fort rare, puiſqu' elle ne ſe trouve dans aucune des Bibliotheques de Paris, car ſi elle y eut ete, le Pere Hardouin n'eut pas manqué de s'en ſervir.* Verum ſi Vir doctus voluiſſet inquirere, potuiſſet non modo hanc ipſam, de qua loquor, Editionem *Venetam*, quæ utique prima eſt omnium, in hac noſtra Bibliotheca facile invenire, ſed experturus etiam fuiſſet, non deeſſe adhuc alias Bibliothecas *Pariſienſes*, e quibus mihi nominaſſe ſufficiat eam, quæ Ducis * *Noallii* eſt, ubi idem exemplar conſpicitur. Ratio vero, quam allegat Vir doctus, a ſilentio *Harduini* deſumta, plane ſolida non eſt; nam ut ſupra jam obſervavi, & quandoque bonus dormitat Homerus; & præterea ab auctore, etiam accuratiſſimo, id raro exigi poteſt, ut omnes alicujus libri editiones perluſtret, vel eas tam ſolerter enumeret.

§. 7. Memini, me apud laudatum antea *Naudæum* in Hiſtoria Ludovici XI. Pariſiis

* In honorem hujus DUCIS illud minime diſſimulandum videtur, quod illuſtrem ſuam originem præclaris ornat virtutibus; maxime ſingulari in literas amore, quarum & ipſe elegantem notitiam tenet. Bibliotheca ejus ſelectiſſima eſt, inprimis quod literas humaniores attinet, quarum ibi pulcherrimus apparatus extat.

Anno

Anno 1630. impreſſa monumentum quoddam ex *Serrario* citatum legiſſe, cujus authenticum exemplar in eadem hac Bibliotheca extat; habetur illud in fine Compendii ſive Breviarii Primi Voluminis Annalium ſive Hiſtoriarum de origine Regum & Gentis Francorum, auctore *Johanne Trithemio* Abbate, quod, cum materiæ de origine *artis Typographicæ* lucem aliquam affundere videatur, omnino huc ex citato libro apponi meretur:

Impreſſum & completum eſt præſens Chronicorum opus anno Domini MDXV. in Vigilia Margaretæ Virginis in nobili famoſaque urbe Moguntina hujus artis impreſſoriæ INVENTRICE prima per J. SCHOFFER *nepotem quondam honeſti Viri* JOANNIS FUSTH *Civis Moguntini memoratæ artis primarii Auctoris. Qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare ſpecularique cepit ano dni, nativitatis* MCCCCL *indictioe* XIII. *regnante illuſtriſſimo Ro. Imperatore* FREDERICO III. *Præſidente Sanctæ Moguntinæ ſedi Reverendiſſimo in Chro Pre Domino* THEODERICO *Pincerna de Erpach Principe Electore An. aut* MCCCCLII *perfecit adduxitque eam, Divina favente gratia, in opus imprimendi; opera ac multis neceſſariis adinventionibus* PETRI SCHOFFER *de Gernsheim miniſtri ſuique Filii adoptivi, cui etiam Filiam ſuam* CHRISTINAM FUSTHIAM *digna laborum multarumve adinventionum remuneratione nu-*

 ptui

ptui dedit. Retinuerunt autem hi duo jam prænuntiati JOANNES FUSTH & PETRUS SCHOFFER *hanc artem in ſecreto omnibus Miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifeſtarent, jurejurando adſtrictis, quo tandem de anno* MCCCCLXII. *per eoſdem familiares in diverſas terrarum provincias divulgata haud parum ſumſit incrementum Cum* GRATIA ET PRIVILEGIO CÆSAREÆ MAJESTATIS *juſſu & impenſis honeſti* JOANNIS HASELSPERG *ex Aja majore Conſtantieum dioceſis.*

§. 8. Ex hoc authentico documento patet, *Moguntiæ* primum a *Germanis* inventam eſſe nobiliſſimam artem Typographicam; nam clariſſimis verbis *Trithemius*, Autor contemporaneus, fideque digniſſimus, illam Urbem hujus Artis INVENTRICEM nominat, quod multis aliis argumentis confirmari poſſet, niſi pridem hac opera Viri doctiſſimi * præ-

* Nempe præter ſupra jam laudatos, *Naudæum*, *J. de la Caille*, *Chevillierium* huc referendi ſunt *Matthæus Judex*, qui unus erat ex Centuriatoribus Magdeburgicis, in libro de Typographiæ inventione *Hafniæ* impreſſo anno 1566. *Andreas Rivetus*, Prof. Lipſienſis in declamatione Panegyrica de artis Typographicæ præſtantia, item *Molinetus* in libro de fatis Literarum Romanarum. *Bailletus* in l. cui tit. Jugemens des Scavans Tom.II. p.1. & recentiſſime Auctor Anglus, Vir Clariſſimus Dn. *Mattaire* in annalibus Typographicis Hagæ editis. Hi omnes, ut alios taceam, Germanis inventæ Typographiæ gloriam tribuunt.

clare

clare fuiſſent perfuncti. Hoc tamen notandum, quod in laudato teſtimonio nulla mentio fiat *Gutembergii* itidem natione Germani, qui unus ex primariis Typographiæ Auctoribus exſtitit. Verum hunc defectum * alibi compenſat *Trithemius*, ubi hæc ejus notatu digniſſima verba leguntur: *His temporibus in Civitate Moguntina Germaniæ prope Rhenum & non in Italia, ut quidam † falſo ſcripſerunt, inventa & excogitata eſt Ars illa mirabilis prius inaudita imprimendi & characteriſandi*

* Vid. Part. II. Chronici Hirſaug. Anno 1690. in Helvetia editi.

† Hæc verba probe notanda ſunt; quia demonſtrant, jam *Trithemii* ætate fuiſſe, qui Typographiæ inventæ gloriam Germanis adimere vellent; unde mirari ſatis non poſſum, quod *Chevillierius*, qui hoc ipſum *Trithemii* teſtimonium pro Germanis citat, continuo poſt addit: *on remarquera, que du tems de l' Abbé Tritheme, qui acheva cette Chronique en l' année 1514. deux ans avant ſa mort, perſonne ne diſputoit à la Ville de Mayence l'imprimerie.* Atqui vidimus *Trithemii* verba hæc eſſe: Moguntiæ inventam eſſe Typographiam, & non in Italia, ut *quidam falſo ſcribunt*; ergo fuerunt utique, qui Moguntiæ hunc honorem detrahere volebant. Magna etiam contradictio eſt, quam in *Chevillierii* verbis hic annotamus. Pergit enim: *il eſt vray que quel qu' un avoit ecrit, que cette belle invention venoit d' Italie*; paulo ante dixerat; *Trithemii* ætate *neminem* (perſonne) dubitaſſe, Moguntiæ primum inventam eſſe Typographiam; jam vero addit: verum eſt, fuiſſe, qui hujus pulcherrimæ artis originem Italiæ vindicaverint.

Libros per Joann. Guttenber, * *Civem Moguntinum; qui cum omnem pene ſubſtantiam ſuam pro inventione hujus artis expoſuiſſet, & nimia difficultate laborans, jam in iſto jam in alio deficeret, jamque prope eſſet, ut deſperatus negotium intermitteret, conſilio tandem & impenſis* Joannis Fuſth *æque Civis Moguntini rem perfecit inceptam.* In ſequentibus etiam verbis annotat *Trithemius* ab initio in tabulis ligneis ipſos ſculpſiſſe literas, primoque ita edidiſſe *vocabularium, Catholicon* nuncupatum, donec tandem modo fundendi formas ſubtiliores invento, ſuperatiſque omnibus difficultatibus, factiſque plurimis expenſis, Typographiæ inſtitutum perfecerint. Quod vero huic *Trithemii* teſtimonio maximam auctoritatem conciliat, eſt, quod ſe iſta omnia ex ore *Petri Schefferi*, qui ex iſtis primis Typographis erat, & tandem *Jo. Fuſthi* Filiam in matrimonium duxerat, audiviſſe contendit. Ita authoribus Germanis in orbem prodiit Ars, qua nihil præſtantius, nihil ad propagandas literas, & promovendam Eccleſiæ ſalutem ac-

* Non quaſi ibi natus fuiſſet *Gutembergius*; locum enim natalem ab urbe *Argentoratenſi* repetebat; ſed quia *Moguntini* Civitatis jure ipſum donabant, quod ipſorum urbem nobilisſima hac arte beaverat. Ipſius domus hac Inſcriptione in rei memoriam ornabatur: *Joanni Gutembergenſi Moguntino, qui Primus omnium Literas ære imprimendas invenit, hac arte de Urbe tota bene merenti Yvo Vintigenſis hoc Saxum pro monumento poſuit.* Vid. Hiſt. de l' imprimerie p. 9.

com-

commodatius excogitari poterat. Et ſane luculentisſimum hic Divinæ Providentiæ documentum videre mihi videor; cum enim Deus jam diu gemiſcentem ſub jugo Papali Eccleſiam, misſis electisſimis gloriæ ſuæ inſtrumentis, liberare vellet, præmiſit hanc nobilisſimam artem, ſine qua Reformatio non niſi difficillimum progreſſum habere potuiſſet. Quomodo enim brevi tempore veritatis teſtimonia in Orbem propalare potuiſſent divini Reformatores, niſi Typographia jam inventa, ipſiſque etiam libera ſcribendi facultas data fuiſſet. Hanc lucem fugiunt *Inquiſitores Hiſpanici*, qui tam ſolicito utut perverſo plane atque inhumano Religionis ſtudio Typographiæ vincula injiciunt, atque liberum veritatis examen impediunt, omniaque diris devovent, quæcunque palato Papæ non ſapere videntur. Exinde vero non liberalia ingenia, ſed ſerva pecora naſci cernimus, atque experientia docuit, in iſtis regionibus, ubi ejusmodi tyrannis dominatur, uti in *Hiſpania*, atque *Italia*, neque literas neque religionis cultum florere, atque id ibi unice agi, ut priſtina barbaries in orbem reducatur.

§. 9. In eadem Bibliotheca exhibetur quoque editio Talmudi Lublinenſis in XII. Vol. ex quo patet, falſum eſſe, quod aſſeruit *Julius Bartoloccius* in III. Tom. Bibliothecæ Rabbinicæ, nullam dari hujus libri editionem, præter iſtas quinque notisſimas, Antwerpienſem, Venetam, Baſileenſem, Cracovienſem, Amſtelodamenſem, aſt, uti modo dictum, in hac Bibliotheca exemplar editionis Lublinenſis extat, quod

idem in plurium Judæorum manibus eſſe fertur.

§. 10. Catalogus hujus Bibliothecæ impreſſus nullus habetur, manuſcriptus autem aliquot voluminibus continetur quem conſulere poſſunt omnes, qui hanc Bibliothecam in uſum ſuum convertere volent.

§. 11. Hæc Bibliotheca duabus per hebdomadem vicibus publico patet uſui, unde, ut ſupra in præfatione monitum, male ea a *Struvio* inter Bibliothecas privatas refertur. Aperitur vero diebus *Lunæ* & *Jovis*, & horis quidem antemeridianis ab octava uſque ad decimam ac dimidiam, & horis pomeridianis ab hora ſecunda uſque ad quartam tempore hyemali, & æſtivo uſque ad quintam.

§. 12. Præſens Bibliothecarius eſt Dominus *Quinault*, Doctor *Sorbonicus*; ſucceſſit ille in hoc officio Domino *Couteau*, itidem Doctori *Sorbonico*, qui ſcripſit inter alia diſſertationem haud inelegantem de *Utilitate Bibliothecarum*. Dominus *Quinault*, antequam ad hoc officium promoveretur, Scripturæ Sacræ profeſſionem tenebat, in uſum Scholæ *Sorbonicæ* a *Gerengio*, primo Typographo Pariſienſi, qui ipſe doctrina ſatis clarus erat, ut numero Doctorum *Sorbonicorum* accenſeretur. Nihil ſuo nomine edidit præſens hic Bibliothecarius, quanquam eruditione polleat inſigni; maxime id in ejus laudem cedit, quod veſtigiis celeberrimi *Ravecheti*, qui ſe tam ſtrenue tamque animoſe in cauſa Appellationis contra ultimam Pontificis Conſtitutionem geſſerat, præclare inſi-

inſiſtens, Syndici munere diu magno ſuo honore functus, omnes corporis Doctrinæ *Sorbonici* partes actaque appellationis promovit, eaque in lucem edi curavit. De ſumma Viri doctiſſimi humanitate erga peregrinos poſtea aliquid dicendi locus erit.

Cap. V.

De Bibliotheca Facultatis Theologicæ Sorbonenſis.

§. 1.

FUNDAMENTA hujus Bibliothecæ jacta ſunt anno 1289. eaque brevi poſt jam mille & ſeptendecim exemplaria complectebatur. Interjecto tempore hæc Bibliotheca ſubinde aucta fuit, donec illuſtrem acceſſionem acquireret liberalitate eminentiſſimi Cardinalis *Richelii*, qui ſuam integram Bibliothecam huic domui legavit.

§. 2. Notandum tamen, ab initio hanc fuiſſe Cardinalis mentem, ut Bibliotheca ipſius publica exiſteret, cujus curam tradidit Domino *Armando de Vignerod*, mandavitque, ut ſubinde unus ex Doctoribus *Sorbonicis* ejus cuſtodiæ præficeretur; verum cum id quibusdam difficile videretur, impetratum eſt a Duciſſa *d' Aiguilleau*, ut Bibliotheca hujus Cardinalis integra in manus Doctorum Sorbonenſium traderetur, eaque non publica ſed privata eſſet.

Neſcio equidem, cur Doctores iſtius Collegii hanc Bibliothecam publico uſui inviderint; facile tamen hanc jacturam compenſabunt Viri Clarisſimi, ſi pronum aditum in eam permittant illis, qui ex iſto ditisſimo adparatu ſcientiarum profectus haurire deſiderant.

§. 3. Ceterum hæc Domus ſuum ſplendorem debet laudato Cardinali, qui non Bibliothecam modo, ſed & ipſam Domum Sorbonicam inſignibus auxit donis atque prærogativis; unde eſt, quod ſtatim in illius ingreſſu hæc verba in frontiſpicio templi poſita videas; ARMANDUS JOANNES CARDINALIS DE RICHELIEU SORBONÆ PROVISOR ÆDIFICAVIT DOMUM ET EXALTAVIT TEMPLUM S. DOMINO. A. M. DC XLII. Ipſius etiam *Mauſoleum*, ſplendidum ſane & ſuperbum, in templo ibidem erectum extat, opera *Girardonis*, ſculptoris celeberrimi, qui pluribus annis in eo exſtruendo verſatus eſt.

§. 4. Anno 1646. *Michael le Masle*, Secretarius modo nominati Cardinalis, magnam quoque huic domui Bibliothecam dono dedit, una cum reditibus annuis, qui ei augendæ inſervire poſſent.

§.5. Ex his itaque confluentibus Evergetarum beneficiis enata eſt hæc Bibliotheca Sorbonenſis, ſua utique laude haud fruſtranda, ſed in qua extollenda tamen nimius fuit Auctor deſcriptionis Pariſ. ed. 1698. cum dicit: *de toutes les Bibliotheques de Paris il n' en eſt point de plus conſiderable & de plus belle que celle de cette maiſon.* Item Auctor Curioſitatum Pariſienſium

ſium ed. Anno 1719. Tom. II. pag. 408. qui ait: *il n'y a point de Bibliotheque, qui contienne un plus grand nombre de Livres & de manuſcripts ſi anciens & ſi rares;* verum utut non diffitear, hanc Bibliothecam eſſe amplisſimo apparatu inſtructam, maxime quod Libros Theologicos itemque primas editiones Pariſienſes attinet: tamen non video, cur ea omnibus ceteris Bibliothecis, maxime vero Regiæ, præferatur, cum qua ſane vix comparari poteſt, ut de quibusdam aliis nihil dicam.

§. 6. Quod attinet Codices manuſcriptos, plures elegantes hic cernuntur; in Linguis orientalibus varia exemplaria Bibliorum Hebraicorum, item elegans exemplar Alcorani, & plures quoque libri Turcici. Correctorium Bibliæ ibi extat, citatum a *Roberto Stephano*, quod ille vocat Correctorium Sorbonicum, nempe quia in hac Bibliotheca domus Sorbonicæ ſervatur. Eſtque hoc Correctorium contractum ex alio ampliore atque uberiore, ut obſervavit *Richardus Simonius* in Bibliotheca Critica Tom. III. p. 404. ubi & de hiſce Correctoriis Biblicis prolixe diſſerit. Elegantiſſimus quoque codex eſt *Titi Livii*, in antiquam Linguam Gallicanam translati; duobus continetur voluminibus in folio, ubi in fronte cujusque capitis variæ miniaturæ & pulcherrimæ picturæ adparent.

§. 7. Hæc Bibliotheca excellit in editionibus impreſſis, maxime antiquioribus, quæ ſub initium introductæ in Gallia Typographiæ Pariſiis primum in lucem prodibant. Nempe

ex

ex Hiſtoria hic repetendum, ſub Regno *Ludovici XI.* Anno 1470. tres Germanos, *Ulricum Geringium, Martinum Cranzium,* & *Michaelem Friburgerum,* conſiliis *Guilielmi Ficheri* & *Johannis de la Pierre,* Lutetiam Pariſiorum, accitos, atque ibi, curantibus his ipſis Doctoribus Sorbonicis conſediſſe, primoſque libros impreſſiſſe; quo facto brevi tempore poſt non modo in hac Urbe ſed in univerſa Gallia hæc ars florere viſa eſt. Jam ante adventum horum Germanorum *Joannes Fuſth,* quædam exemplaria Bibliorum Lutetiam aſportaverat, ſed non poterant animo concipere Pariſienſes, quomodo in tot & tantis exemplaribus tam mirifica conformitas exiſtere posſit, unde hunc Typographum *pro Mago habuere,* iſque fuga ſibi conſulere coactus erat. Ex quo patet, quanta iſtius temporis ignorantia atque rudis barbaries etiam penes eruditos fuerit.

§. 8. Non pœnitendum fuerit, primos libros, quos citati Typographi Pariſiis imprimebant, & qui omnes in hac Bibliotheca ſervantur, hic adponere, ac deinceps quibusdam obſervationibus præſens argumentum ulterius illuſtrare. Huc referendi ſunt *Gaſparini Pergamenſis* Epiſtolarum liber, in 4. *Lucii Annæi Flori* de tota Hiſtoria *Titi Livii* Epitome in quatuor libros diviſa, I. Vol. in 4. *Caji Criſpi Salluſtii* de *Lucii Catilinæ* conjuratione Liber; ejusdem *Salluſtii* liber de Bello *Jugurthæ* contra populum Romanum; *Guilielmi Ficheti* Alnetani Rhetoricorum libri tres, I. Vol. in 4. *Gaſparini Pergamenſis* Orthographiæ pars prima & ſecunda;

item

item *Guarini Veronenſis* Libellus de Diphtongis, 1. Volumen in 4. Epiſtolæ Cynicæ, hoc eſt, *Phalaridis* Epiſtolæ a *Franco Aretino* e Græco Latine redditæ; *Marci Bruti* Epiſtolæ cum *Mithridatis* ad eas reſcripto a *Raimitio* in Latinum translatæ; *Cratis Cynici* Epiſtolæ, Latinæ e Græcis factæ ab *Athanaſio* Conſtantinopolitano Archienſi Abbate. Hi fuerunt primi Libri ab iſtis Germanis Lutetiæ impreſſi anno circiter 1470. & poſtea anno 1476. iidem imprimebant Biblia Sacra, ubi in calce adjiciuntur hæc verba:

Jam tribus Undecimus Luſtris Francos Ludovicus
Rex erat, Ulricus, Martinus, itemque Michael
Orti Teutonia hanc mihi compoſuere figuram
Pariſii arte ſua: me correctam vigilanter
Venalem in Vico Jacobi Sol aureus offert.

§. 9. Hic ergo notandum, ex iſtis, quas indicavi, editionibus haud vanum argumentum peti pro tempore, quo hæc nobilis imprimendi ars Pariſiis introducta eſt; nempe anno circiter 1470. hanc enim ætatem eſſe primarum iſtarum editionum, vel exinde etiam colligitur, quia illæ impreſſionem Bibliorum aliquot annis præceſſerunt; hanc vero eveniſſe vidimus, cum jam tribus luſtris Ludovicus Undecimus regnaſſet; conſtat vero Carolum VII. obiiſſe an. 1461. die 22. Jul. eique ſucceſiſſe Ludovicum XI. die 15. Auguſti ejusdem anni; ergo iſta Biblia impreſſa erant anno 1476. Sed hic, fateor, ſubnaſcitur quædam difficultas haud exigui

gui momenti; quippe vidi in Bibliotheca publica *Cantabrigienſi* editionem eorundem Bibliorum, ubi iſta verba longe aliter habent, nempe loco TRIBUS extat SEMI, hoc modo: *Jam* SEMI *Undecimus Luſtrum Francos Ludovicos rexerat! Ulricus Martinus itemque Michael orti Teutonia hanc mihi compoſuere figuram.* Itaque ſecundum hæc verba jam ſub initium anni 1464. iſta Biblia edita fuiſſent, atque ſic longe citius in Galliam tranſiiſſet Typographia, quod tamen omnibus aliis documentis repugnat, & conſtanter etiam, quantum ſciam, in omnibus editionibus iſtorum Bibliorum, quæ Pariſiis ſervantur, non SEMI ſed TRIBUS LUSTRIS legitur. Oportet igitur, ut in hoc exemplari Cantabrigienſi vocabulum iſtud SEMI incuria, neſcio, an deſtinato conſilio irrepſerit.

§. 10. Notandum porro, ex iisdem Bibliis patere, primos iſtos tres typographos in domo ad aureum Solem Pariſiis conſediſſe, ibique ſuam artem exercuiſſe; quod & confirmat teſtimonium *Gabrielis Naudæi* in Hiſt. Lud. XI. cui quidem eo nomine dicam impingit *Chevillierius*, qui contendit, in domo Sorbonica eos primum receptos fuiſſe, atque ibi Typographiam inſtituiſſe. Verum ut nihil de eo dicam, quod iſta duo inter ſe non pugnent, nimirum Primos iſtos Typographos a Doctoribus Sorbonicis, *Fishero* & *Joanne de la Pierre* accerſitos, ad tempus hoſpitio exceptos fuiſſe in domo Sorbonica, atque eis poſtea locum fixum habitationis datam fuiſſe domum *ad aureum Solem*, ut ſic ſubinde honos deferatur *Sorbonæ*, cujus

beneficio iſti *Germani* in *Galliam* venerunt; obſervandum etiam præterea, *Chevillierium* ſibi contradicere; dicit enim *Ulricum Geringium* factis pluribus donationibus atque decreto Epiſcopi *Meldenſis* id obtinuiſſe, ut ei domus *Sorbonica* pro perpetuo habitaculo eſſet; ergo falſum eſt, ipſum cum Sociis jam antea ibi conſtantem locum habuiſſe, atque artem ſuam per plures annos primum exercuiſſe. Hæc enim Biblia jam Anno 1476. impreſſa Solem aureum referunt:

Venalem in Vico Jacobi Sol aureus offert.

Neque magnam vim habet, quod *Gerardus Morrhius* 54. annis poſt in Lexico Græco-Latino a ſe impreſſo, in præfationis fine hæc poſuit: Vale, *Pariſiis apud Sorbonam* 1530. hic enim particula APUD nihil aliud ſignificat, quam librum prope domum *Sorbonicam* impreſſum; ſecus enim ſi intelligatur, male hic poſitum eſt: nam quivis vel ex infimo tyronum ordine novit, magnam eſſe differentiam inter has propoſitiones: *impreſſum apud Sorbonam*, & *impreſſum in Sorbona*; in vicinia itaque *Sorbonæ* impreſſus videtur liber iſte, non in *Sorbona* ipſa, alias non APUD ſed IN ponere debuiſſet. Mentionem autem *Sorbonæ* potiſſimum feciſſe videtur, quia Typographi, ut eo facilius adiri queant, in titulo ponere amant locum non obſcurum, omnibusque incognitum, ſed talem, qui notior ſit, & facilius inveniri queat, quod de *Sorbona* in promtu eſt intelligere.

§. II. De iſtis primis, quas indicavi, editionibus quoque novimus, eas *literis Romanis* ſatis

tis pulchre & eleganter exaratas eſſe; ac proinde erravit *Petrus Molinetus*, qui a Germanis non niſi literas *Gothicas* in *Galliam* allatas ſtatuit; originem vero characterum Romanenſium cuidam *Joſuæ Badæ* adſcribit; qui eos ex Italia primum in Galliam introduxerit; ſed recte hanc *Molineti* ſententiam refutat *Chevillierius* ex his ipſis primis editionibus, in quibus utique character Romanus ſat pulchre & eleganter exaratus cernitur. Quanquam non diffitendum, hunc imprimendi morem non diu duraſſe, & literas *Gothicas* paulo poſt in uſu fuiſſe.

§. 12. Denique ex hactenus dictis patet, Germanis Galliam quoque inter alias regiones Typographiam acceptam referre; unde & in calce *Cratis Cynici*, quæ inter primas editiones Pariſienſes referuntur, hæc verba leguntur:

Plura licet ſummæ dederis Alemannia laudi;
At reor hoc majus Te genuiſſe nihil,
Quod prope Divinam ſumma ex induſtria fingis
Scribendi hanc artem, multiplicans ſtudia,
Felices igitur Michael, Martineque ſemper,
Vivite, & Ulrici, hoc queis opus imprimitur,
Erhardum veſtrum & non dedignemini amore,
Cui fido ſemper pectore clauſi eritis.

Hic tamen juvat notare, quod Dominus *Mentelius* crediderit, has epiſtolas Cynicas non *Pariſiis*, ſed *Argentorati* primum impreſſas fuiſſe, cui Urbi & ipſe Typographiæ originem adſcri-

adſcribit, forſitan ex cœco amore in quendam ex ſua familia, nomine *Joannem Mentelium*, quem iſtius artis inventorem reputat; ſed gratis hæc ab eo confiđta eſſe, quivis, me tacente, novit. Quod vero maxime mirandum eſt, fidem ſuæ ſententiæ adſtruere conatur *Mentelius* ex quodam exemplari harum epiſtolarum, ubi primus iſte verſus ita legitur:

Plura licet ſummæ dederis Argentina laudi &c.

Sed vocem, *Argentina*, hic a manu temeraria in textum intruſam, priori genuina *Alemannia*, eliminata, ex conſtanti omnium reliquorum exemplarium conformitate facile colligitur, in quibus non *Argentina*, ſed *Alemannia* legitur,* atque id res ipſa quoque declarat, ut ex hactenus dictis perſpicitur. At ſi *Germani* invenerunt Typographiam, ſi iidem eam in *Galliam* introduxerunt; quam lepide ergo hanc quæſtionem proponit Jeſuita Gallus *Bouhourſius*, † num dari poſſit Germanus eleganti ingenio præditus? Aſt, puto, hæc & alia documenta, quæ per inſtituti rationem prætermitto, ſatis indicant, Germanos non adeo ſtupidos eſſe, craſſoque ſub æthere natos, cum eorum inventionibus plures artes nobiliſſimæ ſuam debeant

* Confer ad hæc *Chevillierium* Hiſt. Typogr. Pariſ. pag. 51.

† *Bailletus* excuſat *Bouhourſium*, diſtinguendo inter *bel* & *bon eſprit*, dicitque, illud non hoc Germanis a Jeſuita denegatum; num vero hæc diſtinctio rem conficiat, aliorum judicium eſto.

originem; & de quibus quæſo rectius diſquiritur, num eleganti ingenio præditi ſint, de iſtis, qui artem pulcherrimam invenere? an de his, qui eam ab initio Magiæ accuſarunt, atque deinceps in ea ſolum perficienda laborare viſi ſunt? Verum hæc tantum obiter & quaſi animi cauſa. Nec enim nos ii ſumus, qui ulli nationi invideamus; quin cuivis recta ſapienti ſua laus & ſuus debitus honos concedatur,

Doctaque mens pretio conſtet ubique ſuo.

Habent, de quo laudentur *Angli*, habent & *Galli*, *Batavique*, nec, puto, in infima cavea reſident *Germani*, quorum merita non minimam annalium partem in ſera poſteritate conficiunt.

§. 13. Catalogum hujus Bibliothecæ jam fecerat Dominus *Chevillierius* Anno 1666. tredecim Voluminibus comprehenſum, ſed is nondum in lucem editus eſt. Alium jam parat Dominus *Franciſcus Salomon*, Doctor *Sorbonicus*, & præſens hujus Bibliothecæ præfectus; quem aliquando impreſſum iri, ſpes eſt.

Cap. VI.

De Bibliotheca S. Genovefæ.

§. 1.

Hæc Bibliotheca, quæ hodie inter Pariſienſes haud infimum locum ſibi vendicat, ſi in prima ſua origine ſpectetur, perexigua erat, atque haud aliquid in ea magnopere adparuit, quod eam a reliquis Bibliothecis diſtingueret.

Cano-

Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ, cum hanc Abbatiam, in extremam plane perniciem ruere viſam, reformare vellent, ibi præter graſſantia vitia, & extinctum pene religionis ſenſum, ipſas, ut fieri ſolet, literas atque artes e medio ſublatas reperiebant; adeo ut nec libri nec foruli iis locandis deſtinati adparerent. Prima igitur ipſorum poſt reſtauratam pauliſper diſciplinam cura erat, formandi aliquam Bibliothecam, cujus munere amor literarum, qui jam diu frigere videbatur, in monaſterio hoc reviviſcere inciperet,

§. 2. Primi Fautores, quibus hæc Bibliotheca, jam antea privata cura atque induſtria Canonicorum fundari cœpta, ſuas debet acceſſiones, fuere Dominus *de Flexelles* Conſiliarius Parlamenti, *du Moulinet*, Theſaurarius Galliæ, *Naudæus*, Bibliothecarius Reginæ *Sueciæ* & Cardinalis *Mazarini*, item *Conſtantinopolitanus* quidam, dictus *Athanaſius Rhetor*, mortuus Pariſiis Anno 1678.

§. 3. Bibliotheca itaque ſuorum Evergetarum munere indies aucta, de ampliori loco, in quo ea collocaretur, laboratum fuit. Dn. *Molinetus* ejus delineationem exhibuit, quæ adhuc conſpici poteſt in fronte Libri, qui complectitur deſcriptionem *Muſei Antiquitatum S. Genoveſæ*, atque ſic jam anno 1675. hæc Bibliotheca bene inſtructa, & commode locata videbatur.

§. 4. Multis annis poſt huic Bibliothecæ nova eaque illuſtris plane acceſſio facta eſt a Domino *Carolo Mauricio Le Tellier*, qui metuens,

tuens, ne ſua numeroſa atque pulchra Bibliotheca aliquando diſtraheretur, teſtamento diſpoſuit Anno 1709. ut ea Canonicis hujus Abbatiæ poſt mortem ſuam tota in peculium cederet; quod munus literarium utique ampliſſimum eſt, ut facile colligitur ex Catalogo typis impreſſo illius Bibliothecæ *Tellerianæ*, qui pene in omnium manibus verſatur.

§. 5. Hæc vero augmentatio Bibliothecæ invitabat Canonicos hujus Domus ad parandum locum, qui ejus præſtantiæ reſponderet. Equidem huc uſque ille jam ſatis ſpatioſus erat, quippe qui longitudine emetiebatur ſpatium 318. pedum, latitudine vero 23. & altitudine uſque ad 17. Sed ambitus iſtius loci nondum capiebat Bibliothecam numeroſiorem; unde vidi coram, in cubiculo quodam Bibliothecæ annexo, eos adhuc ſat amplum librorum apparatum reſervaſſe. Jam vero nova felicitas obtigit *Canonicis*, ut locus Bibliothecæ in medio ſcinderetur, ut jam crucis formam repræſentet, quod omnino egregiam ſpectantibus jucunditatem conciliat; nam qui ita in medio poſitus eſt, uno oculi intuitu omnes quatuor Bibliothecæ partes perluſtrat, quod ipſum omnibus, qui eam adeunt, majorem amœnitatem parit; quippe major eſt voluptas adeundi Bibliothecas in loco ſplendidiore poſitas, beneque ordinatas, quam in quibus omnia confuſa jacent,

Veluti rudis indigeſtaque moles.

Hanc vero felicitatem debent *Canonici* Clementiæ *Auguſtiſſimi Ducis Regentis*, qui & locum ampliorem & Bibliothecam inſtructiorem

rem ipſis paravit ; in quo commendationi Domini *Comitis d'Argenſon*, Cuſtodis Sigillorum, quam maxime obſtricti ſunt, quippe qui pro inſigni ſtudio, quo pridem iſti ordini addictus eſt, in eo plurimum laboravit, ut hæc gratia ab *Auguſtiſſimo Duce Regente* ipſis concederetur.

§. 6. Numerus manuſcriptorum Codicum non adeo magnus eſt, neque illi, qui ibi adparent, admodum vetuſti ſunt ; præſtantiores, qui in Bibliotheca *Telleriana* erant, in Regiam transſmigrarunt ; prærogativa igitur hujus Bibliothecæ potiſſimum conſiſtit in libris impreſſis. Et vero ex catalogo *Tellerianæ* Bibliothecæ facile patet, ampliſſime inſtructam eſſe hanc Bibliothecam, maxime quod ſubſidia Eccleſiaſtica attinet ; ita vel unius *Cypriani* quam plurimæ hic editiones comparent, quarum potiores commemorare juvat : 1. D. *Cæcilii Cypriani* Epiſtolæ & tractatus impreſſi per *Vendelinum* * *Spirenſem* anno 1471. in fol. 2. ejuſdem *Cypriani* opera ex emendatione, *Eraſmi*, *Baſil. Froben.* 1525. in fol. eſtque de hoc exemplari notandum,

* Fuere Viri eruditi, quibus hoc *Vendelini Spirenſis* nomen impoſuit, ut crediderint, illam *Cypriani* editionem ab eo luci exhibitam *Spiræ* prodiiſſe ; ita exiſtimavit inprimis Illuſtris ac Reverendiſſimus Epiſcopus Oxonienſis, *Fellus*, qui editioni *Cypriani* præſtantiſſimæ hæc verba præmiſit : ad manum habui vetuſtiſſimas Editiones, *Spirenſem* an. 1471. verum illa editio non *Spirenſis* eſt, ſed *Veneta*, quo hic *Vendelinus Spirenſis* ex Germania Typographiam attulerat.

quod multæ ad marginem notæ ibi adpoſitæ cernantur. 3. *Cypriani* opera cum annotationibus *Pamelii Antwerp.* 1589. in fol. 4. eadem ex editione *Pauli * Manutii* Romæ ejuſque typis 1563. in fol. 5. aliud exemplar ejusdem edit. ad *Vaticanos* quatuor codices manuſcriptos, & ad *Veronenſem* unum, *Neapolitanum* alterum collatum manu *J. Coremelli*, Nobilis *Florentini* in fol. 6. ead. cum annot. *Jac. Pamelii Pariſ.* 1603. in fol. 7. editio *Nicolai Regaltii*, *Pariſ.* 1648. in fol. 8. edit. *Oxonienſis*, cum annexis annalibus *Cyprianicis* per *Joan. Ceſtrienſem* 1682. ut nonnullas alias Editiones taceam. Eadem quoque Bibliotheca in Hiſtoria Franciæ plura continet rara atque egregia monumenta, quod & ex nupera Patris

* De hac editione illud maximopere notandum, quod in ea deſideretur epiſtola *Firmiliani Epiſcopi Cæſareenſis*, ſcilicet quia in ea *Stephani Epiſcopi Romani* vitia vivis coloribus depinguntur; quod & a Viro celeberrimo, *Johanne Clerico*, annotatum in arte Critica ed. Lond. p. m. 8. ubi etiam propria verba *Latini Latinii* ex Bibl. Sacra p. 177. adducuntur: Ego, inquit, *Latinus Latinius omiſi, non Manutius, cum Majorum exempla ſecutus, tum petulantiam hominis deteſtatus.* Ita Romanæ curiæ adulatores deteſtantur veteres, quando ipſorum ſententiæ contradicunt, nec tum regulam fidei amplius conſtituunt. Suo etiam indicio ſe prodidit *Latinius*, quod ait, ſe in iſta fraude majorum exempla ſequi; ſcilicet ut pateat, ſæpius hoc ita moris fuiſſe in Eccleſia Romana, ut ſcripta veterum truncarentur, ſi quando ipſi adverſari viſi ſunt; quod ſi opus foret, multis exemplis probari poſſet.

Le Long Bibliotheca Hiſtorica Gallicana, ubi ſæpius hujus Bibliothecæ mentio fit, colligitur. In ſtudiis humanioribus atque Philoſophicis hic quidem non deſunt ſubſidia, ſed ea non ſunt ſufficientia, hiulca quippe omnia & manca.

§. 7. Denique notandum eſt, quod in eodem loco, ubi hæc Bibliotheca ſervatur, admodum *præſtans Antiquitatum Muſeum* exſtet, dignum utique quod ab adventantibus exteris perluſtretur. *P. Molinetus* ejus deſcriptionem edidit, quæ paratu facilis eſt, unde ejus expoſitione lubens ſuperſedeo; hoc modo iis, qui iſtud muſeum perluſtrare cupiunt, ſuadeo, ut hanc ipſam *Molineti* * deſcriptionem antea ſibi comparent, quo omnia eo melius intelligere poſſint. Hæc vero antiquitatis monumenta Canonici hujus Collegii accepta referunt Domino *de Verneſſon*, Viro militari quondam dignitate ſpectabili, qui ea ex ſingulari affectu ipſis teſtamento legavit.

§. 8. Bibliotheca hæc duos habet præfectos; alter ex iſtis dicitur *Courayer*, Vir in literis elegantioribus admodum verſatus, atque erga peregrinos humanus; alterius nomen me latet, quippe ſolius prioris conſuetudine ex iſta domo utebar, & credo, eam quoque aliis

* Idem quoque ſuperiore ſeculo deſcripſit ſimulacrum *Iſidis*, quod *Pariſiis* prope *Euſtachium* forte inveniebatur. Eratque illa Dea olim urbis *Pariſiorum* tutelaris, unde & nonnulli nomen ejus derivant, quaſi παρὰ Ἶσις juxta *Iſidis* templum, exſtructa.

peregrinantibus, qui hac præſtantiſſima Bibliotheca uti volunt, ob ſummam Viri doctiſſimi humanitatem ſufficere poſſe.

Cap. VII.

§. I.

De Bibliothecis Jeſuitarum Collegii Ludovici M. *itemque* Domus Profeſſæ *in via* Antoniana.

Tria hodie Collegia Jeſuitarum *Pariſiis* ſpectantur; primum eſt *Ludovici Magni*, quod olim & *Claromontanum* appellabatur a Fundatore Epiſcopo *Claromontano*, qui Jeſuitis hiſce ingentem pecuniæ ſummam teſtamento legaverat, qua eundem locum, ubi hodie Collegium exſtructum eſt, emere poſſent. Anno 1682. nomen mutari cœpit, & a *Ludovico M.* dictum fuit Collegium *Ludovicianum* ob inſignia beneficia, quibus iſtud Collegium a Rege mactatum fuerat. Alterum eſt Collegium, quod dicitur Gallico nomine *La Maiſon Profeſſe*, in via *Antoniana*, fundatum a *Cardinali Carolo de Bourbon*, *Fratre Antonii* de *Bourbon Regis Navarrenſis* & *Ludovici de Bourbon*, primi Principis *Condei*. Tertium eſt eorum, qui explorationis annos ſubeunt, donec huic ordini initiari queant; diciturque *le Noviciat des Jeſuites*. Fundatum eſt hoc Collegium a *Beuvia* quadam, fundatrice *Urſulinarum* monaſterii in ſuburbio *Jacobæo*. Hæc ideo præmonere oportuit, ne confuſione nominum ipſæ

quoque

quoque Bibliothecæ inter ſe commiſceantur. Ex tribus hiſce Collegiis primi, nempe *Ludoviciani* Bibliothecam, quippe præcipuam ex iſtis, potiſſimum hic enarrare inſtitui; ita tamen, ut ſtatum Bibliothecæ *Domus Profeſſæ*, ut vocatur, breviter quoque indicem.

§. 2. Hæc itaque Bibliotheca Collegii *Ludoviciani* ſua initia poſt * reſtaurationem ipſius ordinis in Gallia ſumſit Anno circiter 1608. concurrentibus in ejus fundatione variis Evergetis, inter quos nominare oportet Dominum *Deſportium Abbatem Tironenſem*, *Gabrielem Lallemand*, item fœminam quandam nomine *Diez*, matrem cujusdam Jeſuitæ, & Dominum *Cramoyſium*, Librarium.

§. 3. Ex his parvis quidem initiis illa ſubinde majora incrementa adepta eſt, juvante inprimis liberalitate ac munificentia Exc. Viri Domini † *Fuguetii*, Procuratoris Regii Gene-

* Conſtat quippe, Jeſuitas omnes anno 1594. ob varia ipſis objecta horrenda crimina juſſu Parlamenti Regii *Pariſiis* ejectos fuiſſe; quo tandem anno circiter 1605. ab ipſo Rege *Henrico* IV. qui facile flecti poterat, revocabantur. Et tum quoque Bibliothecam hanc inſtaurare aggreſſi ſunt. Antea jam quendam Librorum haud modicum adparatum habuerant, quinque muſeis incluſum, ut dicit *Garnerius* Jeſuita, in Syſtemate Bibliothecæ Collegii *Pariſienſis* S. J. p. 4. Sed ex quibus rivulis illa Bibliotheca confluxerit, non indicat.

† De hoc *Fuguetio* illud quoque notandum, quod ille *palmarius* fuerit auctor, qui ſuis Conſiliis ſuaque commendatione apud Regem *Henricum* IV. Jeſuitas *Pariſiis* reſtitui curavit.

ralis

ralis & ſummi Inſpectoris rei Quæſtuariæ; hic Bibliothecam non loco tantum ampliore, ſed librorum etiam acceſſione ornavit, atque pro annuis reditibus mille libras legavit, quibus ea augeri poſſet; unde & hodie ejus effigies non modo in hac Bibliotheca aſſervatur, ſed inſimul quoque gratæ memoriæ teſtificandæ ergo in omnibus libris, qui ex iſto tempore pretio emti ſunt, inſignia Mœcenatis apparent.

§. 4. Anno 1718. nova huic Bibliothecæ facta acceſſio eſt liberalitate defuncti *Domini de Harlay*, Comitis *Bellomontani*, Conſiliarii ſtatus; in quem & jure quaſi hæreditario derivata gloria Celeberrimi *Harlæi*, Primi Præſidis Parlamenti; hic ſuam Bibliothecam, mille circiter volumina conficientem, huic Collegio pro munere obtulit.

§. 5. Numerus Librorum hujus Bibliothecæ usque ad 47000. complectitur; inter quos plures editionibus primis accenſendi ſunt, varii etiam generis manuſcripti Codices hic cernuntur, Latini quippe, Græci, Hebraici, Sinenſes, *&c.* ex quibus Græcorum numerus aſſurgit ad 350. inter hos unus ex rariſſimis elegantiſſimiſque eſt Codex Prophetarum membranaceus, cum accentibus & ſpiritibus, & characteribus non uncialibus quidem, ſed ab earum forma haud longe recedentibus. De hoc Codice illud ſummopere notandum, quod Jeſaias & Ezechiel deſumti ſint ab exemplari Abbatis *Apollinarii* Cœnobiarchæ, adjectis *Euſebii* Scholiis ejuſdemque & *Pamphili* correctionibus; facta autem eſt illa emendatio ad fidem

Hexa-

Hexaplorum & *Tetraplorum Origenis*, quæ propria hujus manu Scholiis ornata atque correcta fuerant; ad marginem quoque ſæpenumero obſervare licet iſtam notam οἱ λ, qua exemplaria *Luciani* indigitantur; quemadmodum per notam οἱ γ *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion* indicantur, quorum & quandoque initiales literæ adponuntur c. Θ' ◁ unde adparet *Curterium*, qui Jeſaiam edidit, illam notam οἱ γ' non ſatis attendiſſe, dum per eam ſignificari putat tres nomine carentes, h. e. incertos quoſdam auctores, cum plane indubium ſit, non niſi *Symmachum*, *Theodotionem*, & *Aquilam*, quos ipſe *Curterius* recenſet, iis indigitari. Miror vero, Cl. *Montfauconium* iſtas *Luciani* correctiones marginales non obſervaſſe, qui earum ne uno quidem verbo meminit in hujus Codicis explicatione; exactius illas attendit *Richardus Simonius*, qui exinde multas notabiles rationes deducit contra *Curterium* * in Bibl. Critiq.

* *Curterius* ſubinde notam οἱ λ qua *Luciani* Exemplaria ſignificantur, confudit cum illa altera, οἱ ο, quæ *Septuaginta Interpretes* indicat; illum vero erraſſe exinde colligitur, quia lectio οἱ λ ſæpius ab altera οἱ ο diſcedit; quod pluribus exemplis probat *Simonius*; e quibus hoc ſolum proferre liceat, quod Jeſ. 9. v. 25. *Septuaginta Interpretes* habent, ἅυτη ἡ ἀρχὴς; ad marginem vero extat οἱ λ ἀυτὸς ἡ κεφαλὴ, quod eam lectionem notat, quæ in Exemplaribus *Luciani* occurrebat, qui ad *Hieronymi* exemplum ſæpius ad Hebræum textum verſionem ſuam referebat. Recte etiam *Simonius Curterium* caſti-

Tom. I. p. 181. ſqq. Ætatem hujus Codicis quod attinet, olim *Montfauconius* eum Vaticano vetuſtate parem credidit. * Sed correxit Vir doctiſſimus ſententiam in Palæogr. p. 225. ubi agnoſcit, Codicem hunc habere ſpiritus &

gat, quod in hoc Codice noſtro obelos dari negaverit, quia non puram ſed mixtam verſionem ſiſtat; verum id falſum eſſe patet, quia obeli ſæpius hac nota :--- ibi exprimuntur. Quod & a *Montfauconio* obſervatum in Editione Hexapl. *Origenis* Diſſ. Præl. ubi & uſum atque ſcopum horum obelorum quemadmodum & aſteriſcorum oſtendit; nempe his, quod adjectum erat, illis vero, quod expungi debebat, ſignificatur, ut conſtat.

* Scilicet in Diario Italico p. 277. ubi, poſtquam de Codice Vaticano quinti ſextive ſeculi diſſeruit, hæc ſubjungit: *Nihil ſane antiquitate concedunt Vaticano Colbertinus Codex, Levitici & Libri judicum partem complectens, cum obelis & aſteriſcis; Codex Bibliorum Eminentiſſimi Cardinalis de Coislin, ex Bibliotheca olim Segueriana: Codex RR. PP. Jeſuitarum in Collegio Ludovici Magni.* Isti Omnes Charactere Unciali Sine Accentibus Sunt. Hoc Codice *Ludoviciano* ſine dubio Vir clariſſimus hunc præſentem intelligit, quippe quo nullus vetuſtior neque præſtantior in hac Bibliotheca extat, quem & tanto in pretio habent Jeſuitæ, ut eum difficillime aliis communicent; unde idem laudatus *Montfauconius* in editione Hexaplorum *Origenis* ait: ſibi non niſi quatuor diebus iſtius Codicis copiam contigiſſe, ſeque longe majorem utilitatem ex eo percepturum fuiſſe, ſi diutius eo uti potuiſſet. Hunc autem Codicem nec accentibus carere, nec literis uncialibus exaratum eſſe, probe vidi, & novit id Vir doctiſſimus; unde ſententiam priorem in Palæographia ſua recte mutavit.

Accen-

Accentus, neque characteres ejus unciales eſſe; hoc tamen non obſtante, Vir doctiſſimus Codicem hunc in nupera editioneHexaplorum Origenis *omnium* præſtantisſimum & *vetuſtiſſimum* appellat; licet ſummæ vetuſtatis notæ ex propria ejus opinione deficiant.

§. 6. Bibliothecarius eſt *P. Thoubeau*, Vir eruditorum commodis inſerviendi ſtudioſus. Olim hoc munere fungebatur Vir Clariſſimus, *Harduinus*; cui tamen privati labores non ſatis otii ad hoc munus rite obeundum conceſſere: unde non male factum exiſtimo, quod illa provincia alii fuerit demandata. Bibliothecarium enim liberum eſſe oportet a negotiis, quæ ipſum impediunt, quo minus ea, quæ ſunt Bibliothecæ ſuæ, curare, & literatorum ſalutationes recipere poſſit. Præclare autem multaque cum humanitate ſuo muneri ſatisfacit laudatus *P. Thoubeau*, atque ab exteris quoque facile adiri ſe patitur, quod ego expertus grato animo teſtari poſſum.

§. 7. Uno verbo adhuc notanda eſt Bibliotheca *Jeſuitarum Collegii*, quod vocatur *Domus Profeſſa*, in platea *Antoniana*. Ea maximam partem ſuam debet originem *Cardinali de Bourbon*, Fundatori Domus, ut jam ſupra notatum, qui etiam in templo iſtius Collegii ſepultus jacet. Numerus librorum viginti circiter millia Voluminum complectitur; manuſcripti Codices ibi cernuntur, ſed recentiores omnes, neque proinde tanta obſervatione digni, qualem reliquæ Bibliothecæ merentur; in Liturgiis tamen *Gallicanis* ibi nonnulla inveniás,

venias, quæ curioſitati ſatisfacere queant. Libri impreſſi habentur hic in varii generis ſcientias, nihil tamen ibi adeo perfectum omnibusque numeris completum cernitur. In elegantiori literatura plura ibi ſubſidia invenias, quam in ceteris diſciplinis. Aſt ea illuſtrem acceſſionem expectat ex dono teſtamentario celeberrimi *P. Danielis Huetii*, Epiſcopi Abrincenſis emeriti;

- - - - - cui jam tardante Senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ
in corpore vires.

Habitat ille per plures annos in eodem Collegio, ubi & mihi adeundi Virum Celeberrimum exoptatiſſima facultas fuit; & deprehendi, memoria ipſum jam pene deſtitui; quod in iſta quidem ætate admirandum non eſt. Ita cum tempore evaneſcit quoque eruditio, ut vix recordationis umbra quandoque remaneat!

O curas hominum, quantum eſt in
rebus inane!

Cap. VIII.

De Bibliotheca Canonicorum Abbatiæ S. Victoris.

§. 1.

HÆc Bibliotheca incepit cum ipſa fundatione Domus, quæ refertur ad annum 1113. Ea jam tempore *Franciſci I.* magni æſtimabatur, tum ob præſtantiores editiones, tum ob varios manuſcriptos codices, qui in ea extabant.

§. 2.

§. 2. Crevit poſtea liberalitate Virorum clariſſimorum, ut *Domini du Bouchet de Bournonville*, qui anno 1640. inſigni donatione eam ornavit, ac publico uſui conſecravit; unde, quod notandum, ea hodie tribus per hebdomadem vicibus literatis patet, nempe die *Lunæ*, *Mercurii*, atque *Saturni*, & horis quidem *antemeridianis* ab *octava* uſque ad *decimam*, *pomeridianis* vero a *ſecunda* uſque ad *quartam*.

§. 3. Anno 1698. nova ei acceſſio facta eſt beneficio Domini *de Tralaye*, & Anno 1703. Dominus *Couſinus* eam novo apparatu ditavit; proinde ea jam locupletiſſima adparet, neque præſens locus omnes ejus libros capit; ac propterea in eo ampliando laborant Canonici.

§. 4. Numerum librorum definire non poſſum, quia nunquam eum Bibliothecarius mihi indicavit. Hoc autem expertus teſtari poſſum, eam excellere in libris Theologicis atque Eccleſiaſticis, in quibus ampliſſima ſubſidia continet. In elegantioribus literis parum inſtructa eſt; quod idem & de ſcientiis Philoſophicis habendum. Editiones vetuſtiores ibi ſat magno numero conſpiciuntur; ita videas hic *Biblia Moguntina* Anno 1462. *Epiſtolas Hieronymi* A. 1470. & plura alia.

§. 5. Manuſcripti Codices plurimi iique optimæ notæ ibi extant, præſertim in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* tam pulchra continet monumenta, ut multis aliis palmam præripere videatur. Atque inter alia hic maxime commemorandus Codex, *Concilii Conſtantienſis* acta ſiſtens, ubi

verba illa Seſſionis 4. in quibus Papa etiam in rebus ad *fidem pertinentibus* Concilio ſubjicitur, authentica leguntur. Mentionem ejus fecit *Maimburgius* in libro de *Prærogativis Eccleſiæ Romanæ*, atque ex illo ſententiam *Schelſtratii*, magni quondam Curiæ, pene dixerim, Culinæ Romanæ adulatoris, qui verba iſta pro falſis ſuppoſitiſque habuerat, refutat.

Cap. IX.

De Bibliothecis Patrum Oratorii in Via Honorati, itemque Fratrum Ordinis Prædicatorum in eadem platea.

§. 1.

Hæc Bibliotheca originem ſumſit paulo poſt fundationem hujus Monaſterii, quæ incidit in annum 1611.

§. 2. Eam Patres iſtius Ordinis ſine ullis reditibus aliena liberalitate acquiſitis comparaverant, propriiſque ſuis opibus auxerant. Poſtea vero Anno 1620. beneficio *P. Achillis de Harley*, ad Epiſcopalem tandem dignitatem promoti, acceſſio ipſi facta præſtantiſſimorum Codicum tum manuſcriptorum tum impreſſorum, ex quibus plurimi *Conſtantinopoli*, *Salonicæ*, aliiſque locis Turcico Imperio ſubjectis ab eo collecti erant; eaque Bibliotheca hodie excellit in *Libris Orientalibus*, uti *Hebraicis*, *Syriacis*, *Arabicis*, atque *Perſicis*; proinde, qui in hiſce ſtudiis occupantur, invenient hic,

quod

quod ipſorum deſideriis ſatisfacere poſſit. Celeberrimus quoque *P. le Cointe*, ejuſdem Ordinis quondam Socius, qui hujus Bibliothecæ cuſtodiam diu tenuerat, eam variis præſtantiſſimis Libris auxit, iiſque maxime ad *Hiſtoriam*, quam ille ſummo ſtudio excoluerat, pertinentibus. In quo & veſtigiis ejus præclare inſiſtit Bibliothecarius hodiernus, Vir eruditisſimus atque humanisſimus, *P. le Long*, qui jam variis editis ſcriptis, & nuper demum *Bibliotheca ſua Hiſtorica Gallicana* de re literaria optime meritus eſt.

§. 3. Numerus Voluminum tum manuſcriptorum tum impreſſorum ſiſtit viginti duo millia. Editiones vetuſtiores hic rarius quam alibi adparent, paucis ante annum milleſimum quingenteſimum impreſſis. Manuſcripti vero Codices, uti dictum, *orientales* ibi frequenti numero cernuntur; inter quos inprimis notandus eſt *Pentateuchus Samaritanus*, qui editioni *Polyglottorum Pariſienſium* inſerviit.

§. 4. Reſtat, ut de *Bibliotheca Conventus FF. Prædicatorum* in eadem via *Honorati* aliquid dicam. Ejus initia pariter ab ipſa domus fundatione arceſſenda ſunt, nimirum ab anno 1613. Ejus adornandæ & augendæ præcipuus Auctor fuit *Jacobus Goar* Pariſienſis, ejuſdem Conventus alumnus, poſtquam e Græcia in Patriam redierat.

§. 5. Conſtat illa viginti quinque millibus Voluminum, in quibus ſat multi quoque Codices manuſcripti numerantur, quorum præſtantiores ex dono Viri Celebris Domini *Ludo-*

vici Picqueſii, Doctoris *Sorbonici*, teſtamentaria legatione in eam collati ſunt; atque iſtorum Codicum major pars orientales ſunt, *Arabici, Syriaci, Æthiopici* &c.

§. 6. Bibliothecarius eſt Vir doctiſſimus *P. le Quien*, qui variis ſcriptis, inprimis elegantiſſima editione *Damaſceni*, magnam inter Eruditos famam adeptus eſt. Jam, uti ex ipſo coram audivi, parat *Orientem Chriſtianum*, quem digniſſimi argumenti librum ut propediem luci exponat, omnibus votis expetendum.

Cap. X.

De Bibliotheca Auguſtinianorum Diſcalceatorum prope viam Victoriarum.

§. I.

Augustiniani *Diſcalceati* * primo in Gallia pedem fixerant Anno 1619. atque illo quidem tempore non tam de inſtauranda Bibliotheca aliqua, quam ipſa Ordinis ſui fundatione, deque acquirenda domo habitationi congrua cogitabant. Cujus voti ſenſim ſen-

* Vulgo ab omnibus *Pariſiis* vocantur *les Petits Peres.* Scilicet cum primum in Galliam venirent, atque unus ex illis, qui erat exiguæ admodum ſtaturæ, coram *Ludovico* XIII. compareret, quæſivit Rex: *Qui eſt ce Petit Pere?* Atque ex illo tempore hoc nomen ipſis remanſit. Quod inprimis in gratiam peregrinantium hic annotaſſe juvat; cum enim plura *Ordinis Auguſtiniani* Monaſteria Pariſiis extent, illi, qui hujus Conventus Bibliothecam adire cupiunt, obſervato iſto nomine commodiſſime eam invenient.

ſimque

ſimque compotes reddebantur, favente *Ludovici* XIII. clementia, qui ipſis locum conceſſit prope portam, quæ dicitur *Montmarthe*, ubi domum exſtruxere Anno 1632.

7. 2. Cum ita vires in Gallia cepiſſent, ſubinde majores progreſſus facere viſi ſunt, & jam anno 1650. de adornanda Bibliotheca conſilium ceperunt. Primas ejus rei curas ſuſtinuit *P. Bonaventura de S. Clara*, qui libros utiles maximeque neceſſarios coemit; atque ita hanc Bibliothecam fundavit.

§. 3. Anno 1675. *P. Germanus de S. Genevieve*, incitatus exemplo ſui Anteceſſoris, ſatis amplam librorum haud inutilium copiam comparavit; quibus ulterior acceſſio facta eſt Anno 1682. ex Bibliotheca Domini *le Croux*, quæ duo & viginti circiter millia Voluminum complectebatur.

§. 4. *P. Euſtachius*, qui Anno 1712. Bibliothecarii munus accepit, pro ſingulari, qua pollet, librorum notitia nihil hactenus omiſit, quod ad amplificandam hanc Bibliothecam pertineret: atque illa hodie pulcherrimum librorum apparatum continet, quanquam nihil ibi extet, quod non in multis quoque aliis Bibliothecis *Pariſienſibus* inveniri queat. Hoc tamen laudatis hujus Monaſterii incolis maximo honori eſt, quod hanc Bibliothecam, omnibus plane ad eam augendam reditibus deſtituti, ita promoverint, ut ea in plurimis ſtudiorum generibus digna ſubſidia exhibeat.

Cap. XI.

De Bibliotheca Minimorum.

§. 1.

Quanquam hæc Bibliotheca ad Fratres *Ordinis Minimorum* pertineat, ea tamen inter Bibliothecas *Pariſienſes* haud *minimo ordine* ponenda eſt, habetque ea illud peculiare, quod plures contineat Codices *Liturgicos* manuſcriptos, ut in eo pluribus aliis Bibliothecis palmam præripere videatur.

§. 2. Ea collecta fuit partim propriis curis ac impenſis Incolarum hujus Monaſterii: partim liberalitate ac donis Virorum illuſtrium, quos inter principem ſine dubio locum ſibi vendicat Vir magni adhuc poſt fata Nominis, Jo. *Launoius*, Doctor quondam *Sorbonicus* longe præſtantiſſimus, cujus candor & integritas ex plurimis, quæ nobis reliquit, ſcriptis, præclare elucent; quique acerrimum libertatis Eccleſiæ Gallicanæ vindicem ſe geſſit. Hic ducentos aureos ac dimidiam Bibliothecæ partem hujus monaſterii atque Ordinis Sociis teſtamento legavit, quos & tanto amore proſequebatur, ut in ipſorum templo * ſepeliri petierit.

* Attamen poſt fata adhuc ſua fata expertus eſt Vir clariſſimus, neque Sepulturæ locus talis extitit, qualem vivus exoptaverat; quod cum bona Lectoris gratia hic enarrare juvat. Dn. *Camus*, *Præſes Curiæ ſubſidiorum* a Dn. *Launoio* rogatus erat, ut ultimam volunta-

§. 3. De

§. 3. De numero librorum hujus Bibliothecæ nihil certi mihi conſtat; hoc tamen præ-

tem poſt mortem perficeret; is negotium ſibi commiſſum non modo lubens ſuſcepit, verum etiam Viri Doctiſſimi memoriam epitaphio honorare conſtituit, ejuſque conficiendi curam Dno. *Clementi* demandavit, qui præclara hujuſmodi ſtudiorum facultate pollebat. Is laudes Viri Cl. deſcriptas Domino *Camo* obtulit, qui eas defuncto *Launoio Minimis* tradidit, ut eas Evergetæ maximo pro monumento ponerent. At illi a *Generali* ſuo id facere prohibiti ſunt; Rex quoque mandavit, ut *Launoii* ſepulcro nullæ inſcriberentur laudes; ſcilicet quia Regis auctoritatem contra *Papam* tam ſtrenue defenderat, & Gallicanæ Eccleſiæ ſuam libertatem tam fortiter adſeruerat. Hanc ſane infelicem Virorum doctisſimorum in *Gallia* ſortem fuiſſe ſæpenumero vidimus, ut, qui de ea revera bene meriti erant, malis afficerentur; contra in eos præmia ſtatuerentur, qui ejus jura pedibus calcare videbantur; ita & huc quadrat illud Poetæ:

Aude aliquid - - - - - -
Si vis eſſe aliquid.

Fuit eruditus quidam & candidus, ut videtur, Eccleſiæ Gallicanæ amicus, qui de hiſce *Launoii* fatis acerbiſſime conquereretur, in epiſtola ad Præſulem quendam Romæ degentem ſuper inquiſitionis decreto Anno 1690. ab eo conſcripta; in qua cum oſtendiſſet, *Curiam Romanam* ſuos *Clientes* maximis honoribus atque præmiis mactare, *Galliam* e contrario eos perſequi, qui in Gallicana Eccleſia defendenda viros ſe præſtant, deque ea optime merentur, ſequentia verba, prolixiora quidem, ſed quæ legiſſe neminem, ut ſpero, pigebit, ſubjungit: *Vous ſçavés, comment on le fit à légard d' un de Vos amis. Nous n'avons point eu d' homme plus zelé pour la*

ſens obſervavi, eam in duobus diſtinctis cubi-

doctrine du Clergé de France, ni plus infatigablement appliqué à l' éclaircir & à la defendre, que le bon Mr. de Launoi, qui outre cela étoit d' un deſintereſſement achevé. Qu'a-t-on fait pour honorer ſa memoire? Vous le ſcavés; on n'a pas ſeulement voulu ſouffrir ſur ſon tombeau le petit temoignage, que ſes amis rendoient à ſon merite pour l' Egliſe de France. On lui avoit même comme fermé la bouche quelques années avant ſa mort, en lui defendant de continuer certaines conferences, qu'il faiſoit chés lui ſur ces matieres, & où l' on peut dire, qu'il ſe formoit plus de defenſeurs de nos libertés, que par tout ailleurs. Et il eſt même COMME UN MIRACLE, *que nous ayons, ce qu'il a fait imprimer durant ſa vie pour la ſuperiorité des Conciles & contre l' infallibilité des Papes, & ſur d' autres ſujets de cette nature, & nous le devons à l' invention, dont il s'aviſa, qui fut, de le donner par morceaux dans des lettres, qu'il adreſſoit aux uns & aux autres, ſe delivrant par ce moyen* DE LA SERVITUDE INSUPPORTABLE *de la Cenſure de certains Docteurs de ſon tems ſans l' aggréement deſquels nul privilege étoit expedié, & qui parroiſſoient gagés pour arrêter tous les bons lives, & faire deſeſperer les Auteurs.* En tibi fata *Launoii*, qui vellem ut plures inter Pontificios ſui ſimiles reliquiſſet, quæ, ſi recte expendantur, oſtendunt, *humillimum illum ſervum ſervorum*, non *Romæ* tantum, ſed *Lutetiæ* quoque *dominari*, atque ibi tumultuari & furere adverſus eos, qui *uſurpationes* ejus cum piſcatoria ſimplicitate *Petri* ac humilitate Apoſtolorum conciliare nequeunt; contra præmia diſtribuere iis, qui ipſi fidem ſuam mancipant, ejuſque *Regnum de hoc mundo* adorant; ac pro eo tanquam *pro aris & focis* decertant! HÆC OMNIA DABO TIBI, SI IN GENUA PROCIDIS, MEQUE ADORAS.

culis

culis contineri, atque ſat amplum librorum, maxime Eccleſiaſticorum, apparatum ibi extare; in quibus laudata monumenta *Liturgica* inprimis attendi merentur, quæ omnia ex Bibliotheca Dn. *Launoii* deſumta ſunt. In iis tamen & plura (uti in Miſſalibus Romanenſibus fieri ſolet) fabuloſa atque abſurda inveni; e quibus mihi nominare ſufficiat vetus quoddam Miſſale anno 1537. exaratum, quo utebantur tum temporis Fratres Ordinis Minimorum ex præſcripto ordinationis Eccleſiaſticæ, quodque poſtea anno 1619. e Conventu *Nigeonenſi* ad *Pariſienſem* translatum eſt. In hoc itaque Miſſali ſtatim ab initio commemoratur actus Sacræ Cœnæ, atque ibi Chriſti Corpus viſibili modo ex conſecrata hoſtia prorepſiſſe, fertur; tota etiam actio in pictura repræſentatur, manuque recentiori annotatum legitur, hoc *Miraculum* magni eſſe momenti, quia doctrinam de *Tranſubſtantiatione* præclare confirmet.

- - - - credat Judæus Apella
non ego!

§. 4. Inter eadem manuſcripta varii extant Codices, qui continent acta *Miniſtrorum Gallicorum* in aulis exteris; & dignus quoque obſervatu eſt Codex, qui in pluribus Tomis *Hiſtoriam Cardinalium* cum ipſorum *inſignibus* exhibet. Notum quoque eſt, virum in arte *Botanica* celebrem *Plumierium*, hujus ordinis atque monaſterii ſocium quondam extitiſſe; cujus plura adhuc volumina, manu ejus in hanc artem exarata, cum pulcherrimis florum picturis, ibi ſiſtuntur. Plura etiam hic videas ad hi-

ſtoriam hujus conventus pertinentia, quibus recentiſſime acceſſit liber, cui titulus: *Diarium Patrum, Fratrum, & Sororum ordinis Minimorum Provinciæ Franciæ ſeu Pariſienſis ab anno 1506. ad annum 1706. Auctore Renato Thuillierio, ejusdem Ordinis, duobus vol. in quarto.*

§. 5. Bibliotheca hæc tres habet Præfectos, quorum nomina abs me ignorantur. Peregrini autem, qui eo ſe recipiunt, Bibliothecæ perluſtrandæ ſtudio provocati, facilem in eam aditum experiri ſolent.

CAP. XII.

De Bibliotheca Cæleſtinorum.

§. 1.

TANDEM de Bibliotheca *Fratrum Cæleſtinorum* aliquid dicendum eſt. Ejus originem atque progreſſum non æque ac antecedentium hiſtorica enarratione perſequi poſſum, quia fontes, ex quibus ea coaluit, mihi a Bibliothecario nunquam fuerunt indicati, neque eos inveſtigando alibi invenire potui. Quod ſummam rei attinet, præſtare poſſum Lectori, hanc Bibliothecam libris inſtructiſſimam eſſe; in qua ornanda præclare hactenus munere ſuo perfunctus eſt Dn. *Becquetus*, hujus ordinis atque Conventus Socius, qui jam per plures annos huic Bibliothecæ præeſt, eamque elegantioris literaturæ notitiam tenet, quæ huic officio perfecte reſpondet.

§. 2.

§. 2. Quod in hac Bibliotheca præſtantiſſimum obſervavi, ſunt vetuſtiores editiones, quarum ibi ſat ampla copia ſervatur. Huc pertinet Speculum Vitæ humanæ, a *Cæſare* & *Stolio* impreſſum, quorum nomina quoque his verſibus ibi expreſſa leguntur:

- - - - perſinxit Regia Pariſius
Preſſerunt Petrus Cæſaris ſimul atque Joannes
Stol, quibus ars quod habet omne retulit eis.

Biblia *Pariſiis* impreſſa Anno 1476. ad cujus finem leguntur verba ſupra citata: *Jam tribus undecimus luſtris* &c.

§. 3. Inprimis vero hic commendari meretur liber rariſſimus, *Speculum humanæ ſalutis*, qui Pariſiis in duabus tantum Bibliothecis, niſi memoria me fallit, extat, nimirum in Sorbonica, de qua ſupra verba feci, atque in hac præſenti *Fratrum Cæleſtinorum*. In vulgus notæ ſunt diſputationes, quæ de iſto libro inter eruditos agitantur, quo loco & tempore item a quibus ille impreſſus ſit? Qui *Hollandiæ* originem Typographiæ adſerunt, inter quos eſt *Boxhornius*, *Beughemius*, aliique, referunt illum ad annum 1440. eumque *Harlemi* prodiiſſe contendunt; ex quo colligunt, non a *Germanis* ſed *Batavis* Typographiam primum inventam. Ego arbitror totam hanc controverſiam evaneſcere, ſi primo attendamus, hunc librum non typis impreſſum, ſed in tabulis ſculptum atque inciſum eſſe. Proinde recte ait *Mentelius* in libro de origine Typogr. p. 26. *Cum tan-*

tantum ſculptura ſit, Typographiæ appellatione indigna eſt. Deinde ſi aliquod eſſet hujus argumenti pondus, exinde ſequeretur, Typographiæ originem a Sinenſibus repetendam eſſe, apud quos jam diu ante, quam hoc ſpeculum ſalutis conficeretur, artem ſculpendi literas in tabulis viguiſſe, conſtat. Denique notandum, in hoc ſpeculo ſalutis, quod in Bibliotheca *Cæleſtinorum* extat, nec annum, nec locum ſculpturæ, nec nomen Auctoris apparere; unde quæcunque hinc ducuntur pro origine Typographiæ argumenta, vaga ſunt, incerta, & nullius plane momenti; verum his quidem immorari nec libet nec licet. Hoc tantum addendum videtur, duas hujus libri editiones dari, *Belgicam* alteram, alteram *Latinam*; poſterioris exemplar in præſenti noſtra Bibliotheca extat. Quod non ſatis attendiſſe videtur *Beughemius* in catalogo librorum ante Annum 1500. impreſſorum, ubi de hoc Speculo ait: *Quidam id Belgice, alii Latine ſcriptum fuiſſe perhibent.* At ſi Vir Cl. intellexiſſet, utramque editionem haberi, illos autores, qui unam tantum ex his editionibus concedunt, erroris redarguere potuiſſet.

§. 4. Hæc Bibliotheca non ita in variis cubiculis, veluti modo laudata *Minimorum* Bibliotheca, incluſa eſt, ſed in amplisſimo atque ſat eleganti Muſeo ſervatur; totum quoque hujus Monaſterii ædificium perquam ſplendide ac magnifice exſtructum eſt; &, quod obiter hic dico, Templum inprimis commendari meretur exteris, tanquam ornatisſimum ædificium,

um, in quo multæ Perſonæ ex Regia Familia Gallica ſepultæ ſunt, quarum imagines quoque in ſtatuas marmoreas exciſæ ibi ſervantur, quibus vix quicquam magnificentius unquam vidi. Hoc monaſterium eſt in vicinia Suburbii *Antoniani* prope *Sequanam ;* & quemadmodum non adeo longe inde diſtat Conventus *Minimorum,* inde, qui Pariſiis agunt, utramque Bibliothecam eodem tempore adire poſſunt. Nam cum Urbis hujus vaſtiſſimus ſit ambitus, intereſt ſane cujusvis peregrini, eorum inprimis, qui ſtudiorum gratia ibi verſantur, omnes actiones ita ad prudentiam atque utilitatem ſuam componere, ut temporis optime collocati ratio ipſis conſtet, ipſique ex pulcherrimis iſtis Bibliothecis dignos ſtudiorum fructus reportent. Atque hunc in finem deſtinavi jam alteram diſſertationis meæ partem, in qua rectum Bibliothecarum uſum, dotesque ac media huc neceſſaria exponam, quæ ubi a me pertractata fuerint, additis ſub finem quibusdam inſtituto præſenti convenientibus obſervationibus, benevolum Lectorem dimittam.

Finis Partis Primæ.

PARS

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De uſu Bibliothecarum Pariſienſium.

§. 1.

USUS Bibliothecarum Pariſienſium easdem dotes, eademque requirit media, quæ & in reliquis Bibliothecis neceſſaria ſunt. Ea vero quanquam latiſſime pateant, ad ſex ſequentia tamen capita mihi commodiſſime reduci poſſe videntur. Primo requiritur *bona indoles*; Secundo *continuus labor & indefeſſa induſtria*; Tertio opus eſt *idoneis atque ſolidis fundamentis*; Quarto *Notitia Hiſtoriæ literariæ*; Quinto *Studio artis Criticæ*, & ſexto denique ſubinde ante oculos habendus eſt certus *Scopus*, qui quaſi limites conſtituat menti noſtræ, quibus ſe ſuaque ſtudia terminare posſit, ne in vaſto ſcientiarum campo errabunda vagetur; quod quomodo capiendum ſit, ſuo loco abs me oſtendetur.

§. 2. Quod igitur felix fauſtumque ſit, dixi primo, ad rectum Bibliothecarum uſum requiri bonam indolem; cujus neceſſitas per ſe plana eſt, nullaque probatione indiget. Tria vero potiſſimum complectitur hæc, de qua loquor, bona indoles; *ingenium, judicium, memoriam*, illud in rebus *inveniendis*, iſtud in iis *diſcernendis*, hæc in illis *retinendis commemorandisque*

conſi-

conſiſtit. Hæ facultates eo præſtantiores evadunt, quo arctiori vinculo ſibi invicem connexæ ſunt. Quippe & hic *vis unita fortior*. Et quemadmodum in iis præſtantia mentis humanæ inprimis cernitur, ita navanda quoque opera eſt, ut illa exercitando in iis perfectior reddatur. Ad quod conſequendum maximam utilitatem Bibliothecæ afferunt iis, qui digno modo illis utuntur, h. e. qui acquirenda ampla *lectione memoriam*, *meditatione judicium*, *imitatione* atque *induſtria ingenium* exercent. Male vero ſibi conſulunt, qui tantum id penſi habent, ut curſoria induſtria multos libros percurrant, atque pluribus vagis ideis memoriam impleant, omni plane meditatione atque ſtudio eas in ordinem redigendi inſuper habito. Quos homines Præſtantiſſimus *Lockius* † cum iis comparat, qui citato equi curſu per aliquam regionem proficiſcuntur, & multa vago oculo perluſtrant, at in nulla re oculos adcurate figere videntur. Non ergo refert quam multa, ſed quam multum. Et prout ſtomacho non proſunt cibi, quos digerere nequit; ita ad ſolidam eruditionem nihil valet multarum rerum notitia, niſi ea in mente ita digeſta ſit, ut ipſa idearum nexum teneat, atque unam ex altera deducere norit. Verum hæc plane facilia atque extra dubium poſita ſunt; optandum modo foret, ut in praxi quoque tam recepta eſſent, quam communi omnium conſenſu atque approbatione confirmari ſolent. Magnum vero hic

† Conduct of underſtanding.

im-

impedimentum in *educatione* inprimis conſtitutum video; cujus plerumque ita perverſa ratio eſt, ut mentem præjudiciis imbuat, cum eam ab antiquis liberare, & a novis præſervare deberet. Verum de his prolixius agere, non eſt hujus loci.

§. 3. Magis huc pertinet, quod *Ars Critica*, cujus in recto Bibliothecarum uſu tanta neceſſitas, tanta utilitas eſt, uti poſtea id oſtendetur, his animi dotibus perficiatur omnino atque illuſtretur. Ad eam requiritur ampla *lectio*, quod *memoriæ*, *conjecturandi felicitas*, quod *Ingenii*, denique *perſpicacia interpretandi*, atque *ſenſum genuinum a ſpurio diſtinguendi*; quod *judicii* inprimis munus eſt; quæ omnia poſtea teſtimoniis atque exemplis confirmabuntur.

§. 4. Cæterum memini, me, cum *Pariſiis* agerem, orationem haud inelegantem cujusdam Jeſuitæ in Collegio *Ludoviciano* audiiſſe, qui ſibi hanc quæſtionem ſatis paradoxam ventilandam ſumſerat; *num ingenium mediocre præſtet ingenio ſublimi?* Tenuit ille affirmativam, atque inter alias rationes adduxit, quod mediocri ingenio præditi, non ita expoſiti ſint invidiæ, quemadmodum illi, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan. Deinde a mediocribus ingeniis, inquit, non eſſe metuendum, ut turbas in Eccleſia ſtatuque Civili excitent; ſecus de ſublimibus habendum. Quod primam ex his rationibus attinet, ea ſæpe nititur experientia; at, quod exinde collegit Jeſuita, in eo ipſius ſententiæ non accedo; laudis eſt, invidia dignum

dignum reputari. Deinde ſi qui ita inhumani atque illiberalis animi ſunt, ut vipereum invidiæ venenum in eos evomant, quorum dona potius amore proſequi deberent; non deſunt alii, qui iis faveant, eosque tueantur.

Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo:
Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.

Quod vero alteram rationem attinet, metuo, ne ea ipſis Jeſuitis fraudi ſit; cum, eos non facile mediocria, ſed ſublimia, vel ſi mavis, ſubtilia ingenia in ſuum ordinem recipere, conſtet. Quid ſi ergo aliquis diceret, turbas in Eccleſia Romana, itemque in regimine ejus civili ſæpius excitatas, Jeſuitis originem debere? Eodem tempore alium Jeſuitam audivi, metricam orationem *de Lacrymis* proponentem, quæ longe pulcherrima erat, nec niſi ab ingenio *ſublimi* proficiſci poterat. Placuit ea Auditoribus univerſis, & quanquam, uti dictum, argumentum ibi *de Lacrymis* tractaretur, nemo tamen præſtantiſſimum oratorem commiſeratione dignum judicaſſet, niſi antecedens orator ingeniis quibusdam ſublimioribus tam triſte augurium ſtatuiſſet. *Hinc illæ lacrymæ!*

§. 5. Sed utcunque bona indole præditus ſis, niſi ea labore & induſtria exerceatur, tandem in ſterilitatem degenerabit, uti bonus ager, qui nunquam colitur, vel ſubigitur. Hinc ſecundo loco *indefeſſa diligentia* requiritur ab iis, qui recto Bibliothecarum uſu ad ſolidam doctrinam adſpirant. Scilicet nihil non labore conſtat miſeris mortalibus; atque ille nunquam rectius impenditur, quam ſi rei dignitas omnes

H huma-

humanæ induſtriæ vires jure ſibi vendicat. Hoc autem in doctrinam ac ſapientiam præ omnibus aliis rebus cadere, probe intellexit Regum ſapientiſſimus, qui eam tanti æſtimare ſolebat, ut ei omnes mundi divitias poſtponeret. Sunt vero ampliſſimi doctrinarum ac ſapientiæ theſauri in Bibliothecis potiſſimum reconditi, quos non niſi diligentia atque labore comparare licet. Otium ſemper & ubique, inprimis vero in itineribus literariis, intolerabile eſt, nam qui ei indulgent, tempus, quo nihil carius, tot raras proficiendi occaſiones, quas alibi fortaſſe fruſtra quæſiverint, ſumtus denique perdunt; quibus omnibus nihil magis ab æquitate & prudentia alienum eſt. Si vero his otioſis tanti eſt, nihil agere, quidni potius domi manent, ubi otium viliori pretio quam in exterorum regionibus vendi ſolet?

§. 6. Inter palmaria diligentiæ incitamenta illud eſt, ut quis de ſua eruditione mature diffidere incipiat. Fit enim nimia virium ſuarum confidentia, ut quidam ſtudia ſua remiſſius tractent. His nulla poteſt revera major gratia præſtari, quam ſi dentur Viri honeſti, & probi, & rerum periti, qui ipſorum defectus atque præjudicia ſincere illis detegant. Malo verbera amici, quam oſcula inimici, pridem recte ab *Auguſtino* dictum memini; & optime Poeta:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit;
Nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit.

Cæterum a ſtudiorum curſu neminem deterreant difficultates, quæ hic, ab initio præſertim,

ſeſe offerunt. Eruditio ne pulchra quidem foret, niſi difficilis eſſet; quippe τὰ καλὰ δύσκολα. Deinde de glacie tantum frangenda agitur; quæ difficultas ubi ſuperata fuerit, cætera ſponte ibunt. Denique ita dulces ſunt ſtudiorum fructus, ut omnia laborum tædia pleniſſime abſtergant. Illos vero percipere non poterit, qui hos ſubire detrectaverit.

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

§. 7. Diligentia vero in recto Bibliothecarum uſu *Prudentiam* pro duce, *Conſtantiam* pro comite habeat. Illa non tam facile præceptis, quam uſu atque experientia addiſci poteſt. Sunt tamen tria potiſſimum, quæ a *Bibliothecarum Pariſienſium* cultoribus quam maxime attendi, velim. *Primo* ut habeant rationem *temporis*, deinde *loci*, tertio *rerum*, in quibus induſtria ipſorum occupetur. Quod *tempus* attinet, nolim cuiquam ſuadere, ut tempore *hyberno* Lutetiam ſe conferat. Quid enim manus gelu rigentes e Bibliothecis excerpere poſſunt? Præterea & tempore *verno* atque *æſtivo* diutius per diem patent Bibliothecæ publicæ, quas ſupra enarravi, quam *hyemali*. *Memini, me aliquando Virum Eruditiſſimum & exterorum inprimis ſtudioſum, Dominum Abbatem *Longerue* adiiſſe, atque cum eo de itineribus literariis diſſeruiſſe; tum vero ille, mi-

* Illud quoque addendum, tempore *Autumnali* Bibliothecas Publicas *Pariſienſes* nemini patere; pleri que etiam eruditi tum ruri agere ſolent; quod proinde a literatis peregrinantibus obſervandum.

rari ſe, inquiebat, peregrinos, qui ſtudiorum gratia *Pariſios* veniunt, plerumque hyemale tempus ad hoc inſtitutum ſeligere, quo nullum aliud eis minus faveat, idque iisdem, quas modo citavi, rationibus confirmabat. *Locum* habitationis nemo *Pariſiis*, quippe vaſtiſſimi ambitus urbe, ita commodum habebit, ut omnes Bibliothecas vicinia attingat; unde prudentiæ erit, ei potiſſimum Bibliothecæ habitatione ſe adjungere, quam quis frequentius adeundam ſibi proponit. Ita qui *Regia Bibliotheca*, omnium ſine dubio præſtantiſſima, uti voluerit, locum commorationis ſibi comparabit prope viam *Vivienne*, uti appellatur, vel quando illa proxime in domum *Nevers* translata fuerit, prope viam *Richeliam*. Qui vero non uni affixus eſt Bibliothecæ, ei omnino autor ſum, ut in *Suburbio S. Germani* commoretur, ibi enim pluribus Bibliothecis propior erit, ac præterea ipſi jucunda erit vicinia *P P. Benedictinorum*, a quibus peregrinantes literati perquam honorifice excipi ſolent. Qui autem ſumtibus parcere volunt, (quæ utique ſalvis iis, quæ ad vitæ honeſtatem requiruntur, non minima prudentum peregrinantium cura eſſe ſolet) iis commendo domum *D. Devillierii*, Magiſtri Artium, Viri ingenui & probi, qui habitat in *Suburbio S. Jacobi*; eſtque illius loci ea commoditas, ut proximas habeat Bibliothecas *S. Genovefæ*, *Collegii Ludoviciani*, *Sorbonicam* & nonnullas alias. * Denique, quod res ipſas attinet, in qui-

* Præterea, qui in iſta domo commorantur, eam quo-

bus

bus cujuſvis diligentia præcipue occupari debet, illæ generatim determinari nequeunt. Quilibet ex ſcopo ſuo, quid ipſi conveniat, metiri tenetur. Hoc unum dico; cum in his occaſionibus ea, quæ non ubivis inveniuntur, quæque maxime præſtantia ſunt, reliquis minoris momenti rebus anteferenda ſint, prudentia dictitat, ut, qui digna ſtudiorum opera perfungi cupit, huc quoque rationes ſuas exigat. Ita cum libri impreſſi frequentius, Codices vero manuſcripti rarius haberi queant; rectiſſime faciet, qui in his potius quam illis diligentiam ſuam contulerit *, idque ſecundum prudentiſſimum *Grotii* monitum: QUOD FIERI POTEST QUOVIS TEMPORE, CEDIT EI, QUOD FIERI POTEST RARO, VEL NUNQUAM.

§. 8. Primarium quoque diligentiæ munus

que commoditatem habent, ut, cum in Gallico hoſpitio vivant, linguam iſtam ipſo uſu eo facilius atque citius addiſcere queant; hanc enim perverſam conſuetudinem in pluribus Exteris Lutetiæ obſervavi, ut nulla alia diverſoria quærant, quam ubi cum ſuæ nationis hominibus confabulari poſſint; quaſi ideo Pariſios veniſſent, ut vernaculam ſuam ibi excolerent.

* Hæc tamen cum grano ſalis accipienda ſunt. Nam primo examinanda eſt ſtudiorum ratio, & an ſcopus eorum ejuſmodi laboribus conveniat. Deinde ad manuſcriptos codices nemo ſe conferre debet, niſi qui jam ſolida ſtudiorum fundamenta jecerit, quique ex illorum uſu peculiare aliquod commodum percipere novit. Non omnia omnibus æqualiter utilia ſunt; quare hic quilibet ſe ſuaſque vires probe exploret, omniaque ad ſcopum ſuum prudenter accommodet.

eſt, ſtudium excerpendi, quo carere non poſſunt, qui rite ac prudenter Bibliothecis uti volunt. Cum enim memoria humana ſit labilis; cum præterea ea, quæ in una vel altera præſtantiſſima exterorum Bibliotheca occurrunt, quandoque raro vel nuſpiam alibi habeantur; irreparabilem ſane iſtorum jacturam facit, qui talia negligit; immunem autem ab illo damno ſe præſtat, qui omnia obſervatu digniora in codicillos redigit, eaque ſic ab oblivionis periculo liberat. In Excerptis vero hæc palmaria regula annotanda eſt, ut in ea potiſſimum figamus oculos, quæ inſtituto noſtro conveniunt, & in quibus ſingularis aliquis uſus conſiſtit; levius vero tractemus illa, quæ tantum numerum faciunt in ſcientiis, vel quæ ob ſolam curioſitatem, ne dicam, in ſpem futuræ oblivionis diſcuntur. Quod vero ſpecialem excerpendi modum attinet, hunc ego nemini determinare auſim; quilibet hic abundet ſuo genio, modo res ipſæ ſalvæ maneant, inque iis tractandis debitus ordo ſervetur. Ego hactenus hanc methodum ſequor, ut ſi quid in ſtudiorum curſu occurrit, (occurrunt autem quam plurima) ubi hujus vel illius libri ſubſidio ad rem aliquam pernoſcendam indigeo, refero hoc ſub titulum: *Quærenda*; & ſtatim in Bibliothecis, quarum uſus mihi contingit, deſideriis meis ſatisfacere ſtudeo. Atque hoc conſilium & alibi a Viro doctiſſimo atque Clariſſimo D. *Joanne Clerico*, datum memini; quod alii quoque, ſi volupe ipſis fuerit, eodem modo ſequentur. Uberius autem de hac materia edoceri qui volent, ade-

ant

ant *Morhoſum* in Polyhiſtore, Tom. I. lib. I. c. 6. §. 35. 36. l. 3. c. 1. §. 8.

§. 9. Sed non ſufficit, diligentiam ad *prudentiæ* leges exegiſſe, niſi eidem quoque *fidelis conſtantia* reſpondeat. Quid enim juvat, quæſo, bene incepiſſe, ſi inertia atque animi mollities opus interrumpat, atque impedimento ſit, quo minus ad felicem exitum progrediatur? Et hoc ſane nimis frequens eſt in plurimorum conatibus, in quos quadrat illud Poetæ:

Principium fervet, medium tepet, ultima frigent.

Non ita cum iis agitur, qui finem ſuum ſubinde ante oculos habent, atque ad eum alacri curſu contendunt. Conſtantia certe omnium reliquarum virtutum quaſi corona eſt; eaque inprimis Muſarum cultores decet. Ejus incitamenta ſunt 1. Studiorum ac Scientiarum dignitas, quibus non immorari tantum, ſed immori quoque honeſtum eſt. 2. Inæſtimabile temporis pretium. 3. Obligatio erga Deum & Rempublicam, Patriam præcipue. 4. Spes dulciſſimorum fructuum, qua omnes nutriuntur.

Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis.

§. 10. At memini, me haud ita pridem ab eruditiſſimo *Lockio* obſervatum legiſſe, multos eſſe, qui in ſtudiis tractandis ea utantur conſtantia, ut die nocteque iis invigilent, & quandoque prandium atque cœnam eis poſtponant, et tamen ad ſolidam doctrinam haudquaquam perveniant; quod exinde provenire putat, quia iſti ſua ſtudia nullis ſolidis Principiis ſuperſtruunt.

§. 11. Ne ergo ſpes fruſtretur hiantem, & quis magno conatu nihil agat, requiritur, ut idonea ſtudiorum fundamenta jaciat, qui in iis felices progreſſus experiri cupit. Habent omnes diſciplinæ quaſi ſuas quaſdam veritates fundamentales, quas rite perſpectas qui habuerit, multas alias, quæ inde dependent, uno quaſi oculi intuitu contemplabitur. Nempe quemadmodum Mathematici ex una aliqua propoſitione certa & indubitata plures veritates concludunt, quæ ultro hinc emanant; ita in reliquis diſciplinis idem plane conſpicitur. Ex. gr. in Antiquitate Eccleſiaſtica *Canon Sextus Concilii Niceni* fundamentum eſt, ex quo plures aliæ propoſitiones recte deducuntur. Nam ex eo colligitur, jam in primitiva Eccleſia jus Epiſcopale viguiſſe. 2. Inter Epiſcopos ipſos jam obtinuiſſe diverſos quosdam gradus, atque ordines, *Metropolitanos* præcipue. 3. Epiſcopatus, *Romanum*, *Alexandrinum* atque *Antiochenum* fuiſſe ceteris eminentiores. 4. EpiſcopumRomanum tamen non exercuiſſe dominium univerſale in Eccleſiam, quippe cujus poteſtas ad propriam ejus Diœceſin Romanam hic reſtringitur; in quo & Epiſcopus *Alexandrinus* ei comparatur. Sunt, qui putant, in Antiquitate Eccleſiaſtica pro fundamentali ejuſmodi veritate illam quoque habendam, ut, ſi quandoPatres Eccleſiæ deFilio ita loquuntur, ac ſi non æque verus & ſupremus Deus eſſet, ac Pater, iſta loca de *œconomico Filii Dei officio* ſint interpretanda. Quod in quibusdam etiam Patribus omnino admitti poteſt; an vero

omnes

omnes, in primis *Origenes* atque *Euſebius*, ita defendi queant, ex ipſis Pontificiis eruditisſimi Viri, uti *Petavii*, *Valeſii*, *Huetii*, *Montfauconii*, plane inficias eunt.

§. 12. Hæc vero, quæ a me dicta ſunt, eo pertinent, ut qui Bibliothecis recte uti volunt, exinde intelligant, quanti ſit, ut ſubinde ad fundamenta ſtudiorum ſuorum reſpiciant, quibus rite jactis tantus Bibliothecarum uſus emergit. Qui in magnam aliquam Bibliothecam ſe confert, nullis plane fundamentis inſtructus, is mihi ſimilis videtur homini, cui magnus ciborum apparatus proponitur, quibus tamen vitio ſtomachi frui nequit. Contra, qui poſitis jam idoneis in hac vel illa diſciplina fundamentis ad uſum Bibliothecarum accedit, omniaque in ſuas claſſes prudenter diſtribuere ſcit; is non poteſt non exinde utilitatem percipere maximam; neque de illo timendum, ne rerum multitudine confundatur; prout ſtomachus bene confirmatus etiam fortioribus cibis non obruitur, quorum digeſtioni ſufficit.

CAP. II.

De Notitia Hiſtoriæ literariæ deque ejus indole, natura, atque præſtantia.

§. 1.

QUIA jam antecedens Caput nimis in longitudinem excrevit, præſenti de hiſtoria literaria quæſtioni diſtinctum ſervavi locum,

 de

de arte critica, quæ adhuc explicanda reſtat, in ſequenti capite acturus.

§. 2. Hic primo illud notandum, quod non ſine cauſa atque idonea ratione notitiam hiſtoriæ literariæ fundamentis in quavis diſciplina jaciendis ſubordinaverim. Nam qui, cum nihil ſolidi adhuc ſciant, vago oculo plurimos perluſtrare libros, atque omnes relationes literarias, quæ hodie in *Gallia*, *Belgio*, & *Germania* eduntur, percurrere, vel etiam Polyhiſtores, qualem edidit *Morhofius*, ſeu Bibliothecas literarias, quales egregie a doctiſſimo *Fabricio* adornatæ ſunt, vel alia denique hiſtoriæ literariæ adminicula adhibere volunt, antequam idonea nacti ſint fundamenta ejus potiſſimum diſciplinæ, quam ſibi tractandam ſumſere, horum ſcientia non poteſt non confuſa, dicam etiam, ſuperficiaria evenire. Ergo poſt jacta jam fundamenta poſitaque ſolida principia ad notitiam literariam progrediendum, cujus tanta eſt neceſſitas, ut ſine maximo damno ea carere non poſſit, qui inſtructiſſimas exterorum Bibliothecas frequentare, atque exinde uſum aliquem haurire cupit. Nam quid quæſo ille in Bibliothecis proficiet, qui nullam ac ne talem quidem, qualis a Bibliopola requiritur, librorum cognitionem habet? ſane ejusmodi homo ſimilis mihi videtur Viatori alicui, qui neſcius locum aliquem præterit, ubi theſaurus ſub terra reconditus ſervatur, * vel ali-

* Ut hæc exemplo ſatis notabili a me illuſtrentur, Lectori propono lepidam hiſtoriam, quam refert *Chevil-*

cui peregrinanti, qui in regiones exteras ſine duce, ſine cognitione chartæ, & quaſi clauſis oculis contendit? Quid Bibliothecæ aliud ſunt quam pretioſiſſimæ aurifodinæ, in quibus the-

lierius in libro ſupra laudato, l' Hiſtoire de l' imprimerie de Paris, ubi pag. 281. commemorat, quomodo *Speculum illud Humanæ Salutis*, itidem ſupra jam a me citatum, forte invenerit, emeritque; verba ejus Gallica hæc ſunt: *il étoit dans la Bibliotheque du feu Mr. de Balleſdens, amateur connu des antiquités. Les Libraires ne ſçurent point, que ce fut un livre rare & curieux: ils le mirent dans un pacquet coté 99. & priſé 4 l. paſſant un jour par le Quay de la Tournelle, je le trouvai ouvert ſur une table, qui ſervoit de montre à une boutique, & l' achetai auſſitot.* Annon ergo verum eſt, quod dixi, illos, qui nulla notitia literaria tincti ſunt, & in librorum officinas vel Bibliothecas ingrediuntur, ſimiles eſſe homini, qui locum præterit, ubi theſaurus reconditus eſt, quem ignorat? contra qui librorum cognitione prædititi ſunt, iſtum theſaurum literarium invenire, atque in rem ſuam convertere poſſunt. In præſenti exemplo *Chevillierius* tantum Librariorum meminit, qui iſtud Speculum ſalutis ignorabant, ac proinde negligebant: at ſine dubio & literati iſtum locum præteribant, & pretium libri ignorabant, alias emiſſent illum ſine dubio, neque ille ad Dn. *Chevillierium* perveniſſet. Audivi quoque Pariſiis, celeberrimum *Baluzium*, in platea, quæ dicitur *Quay des Auguſtins*, præſtantiſſimos atque rariſſimos libros vili pretio ſæpius in tranſitu emiſſe; multis aliis eos per ignorantiam negligentibus. Quippe ignoti nulla cupido. Adeo mirum quantum decipiuntur, qui notitiam Hiſtoriæ literariæ inſuper habent, vel contemnunt plane, quam nemo literatus ſine maximo ſuo damno ignorare poteſt.

ſaurus

ſaurus artium ac ſcientiarum ſervatur, quem tamen invenire non poſſunt, niſi qui aliqua ejus cognitione atque inveſtigatione tenentur; cumque ibi ampliſſimus diſcendi campus aperiatur, pronum eſt intelligere, feliciter in eo percurrendo progredi eos demum qui jacto jam ſtudiorum fundamento duce & notitia literaria comite utuntur. Cum vero latiſſime pateat hiſtoria literaria, mihi tamen ea, quæ ad præſens negotium maxime faciunt, tribus potisſimum capitibus abſolvi videntur. Nempe noſſe oportet literarum ſtudioſum *Bibliothecas*, *Libros impreſſos*, *Manuſcripta.* Ex his fontibus magna cognitionis pars in itineribus literariis derivatur.

§. 3. Primo dixi Bibliothecarum cognitionem requiri. Rationem ejus rei jam ſupra oſtendi. Nempe cum Bibliothecæ omnes non omnia posſideant, & cujuſque plurimum interſit, ut ſcopo ſuo conformiter agat, qui eas cum fructu adire cupit, facile eſt intelligere, ſuam unicuique utilitatem ſuadere, ut Bibliothecarum notitiam acquirat, quo eas eo melius in uſum ſuum convertere posſit; ut ſilentio prætercam, hiſtoriæ literariæ præcipuum munus in eo verſari, ut quis Bibliothecarum origines atque progreſſus norit, atque modum etiam Bibliothecam utiliter & cum fructu adſtruendi bene perſpectum habeat; id quod Viri docti jam integris diſſertationibus ex inſtituto pertractarunt. Ubi & illud mihi notatu dignum videtur, quod Virum ex Bibliotheca cognoſcere atque dijudicare posſis. Non loquar

præci-

præcipue de modo externo ordinandi Bibliothecam, eamque in ſua ſcrinia collocandi; quod cuivis liberum eſt; quanquam quo magis aliqua Bibliotheca bello ordine locata eſt, omniaque ſibi mutuo reſpondent, eo majorem gratiam atque amœnitatem non modo poſſeſſoribus, ſed ſpectatoribus quoque peregrinis atque advenis ejus adſpectus conciliat; verum rem ipſam ſpecto atque materiam ex qua bona & inſtructa Bibliotheca conſtat. Hic ſi Bibliothecam videas, magno ſumtu emtam, ſed in qua tamen multi libri inutiles, & pauci in quibus operæ pretium collocatum eſt, inveniuntur, recte concludas, Auctorem hujus Bibliothecæ non ſufficienti atque ſolida librorum cognitione præditum eſſe; ſi rurſus omnia hiulca ſint, neque libri ita ſibi reſpondeant, ut pro una vel altera ſcientia ſubſidia maxime fundamentalia ibi cernantur, ſed modo bonus liber adſit, modo alius, qui tamen cum altero conjungi debuiſſet, quoque in iſta diſciplina carere non poſſis, deficiat, exinde rurſus argumentum deſumitur, Auctorem hujus Bibliothecæ vel non ſufficientem curam in ea colligenda adhibuiſſe, vel plane notitia literaria caruiſſe, cujus beneficio iſtiuſmodi nævos atque defectus evitaſſet.

§. 4. Verum hic tamen ea cautela neceſſaria eſt, quod tale judicium de iis duntaxat validum ſit atque legitimum, qui jam ſolutis impenſis Bibliothecas meliores ſibi comparare & voluerunt & potuerunt. Quorum vero curta ſupellex, & anguſta res domi non fert, ut ejuſmodi

defe-

defectibus, quos indicavi, ſuppleant, in hos injurius foret, qui eis eo nomine dicam impingere, atque eorum curam vel induſtriam vel eruditionem in dubium vocare vellet. Neque enim *omnibus contingit adire Corinthum;* ſuntque quamplurimi Viri docti, qui bene norunt, quid ad perfectam atque accuratam Bibliothecam requiratur; verum his, deficiente rerum gerendarum nervo, uſu venit illud πολυθρύλλητον.

Deficiente pecu deficit omne nia.

An vero ille Paſtor, apud quem tempore Viſitationis nihil amplius quam Biblia Sacra, ac Poſtilla in Evangelia Dominicalia, cum Libello Liturgico, invenirentur, *omnia ſua ſecum portaverit*, quæſtio eſt, quam mihi neutiquam decidendam ſumo.

§. 5. Cæterum ex crebro Bibliothecarum uſu hic ſine dubio uſus enaſcitur, ut, qui earum notitiam acquiſivere, exinde doceantur, quomodo ipſi ſuas privatas recte adornare debeant. Ita illuſtris quondam Archi-Epiſcopus Remenſis, *Tellierius*, exteras Bibliothecas adeundo, ad ſuam domeſticam rite inſtituendam typum ex illis ſumſiſſe, fertur. Quod idem & de Viro nunquam ſatis laudato, *Thuano* legimus; cujus Bibliotheca, ſecundum ordinem ſcientiarum digeſta, eruditos minime fugit. Eidem argumento poſt plura alia documenta lucem affundet *Catalogus* * Bibliothecæ Regiæ, quem

* Dixi jam ſupra p. 50. 51. ejus Catalogum manuſcriptum a *Clemente*, quondam hujus Bibliothecæ cu-

a Cla-

a Clariſſimo Viro Domino *Boivinio*, ejus Præfecto, expectamus.

§. 6. Fuerunt etiam Viri de Republica literaria meritiſſimi, qui modum atque methodum Bibliothecas adornandi, ſcriptis expoſuerunt. Quo in numero ſunt *Richardus de Buri*, *Epiſcopus quondam Dunelmenſis*, & *Cancellarius Eduardi III. Anglorum Regis, Regnique Theſaurarius*. Is librum edidit, *Philo-Biblion* * adpellatum, in quo, quid ad Bibliothecam requiratur, oſtendit. Cui adde *Gabrielis Naudæi* jam ſupra a me laudatum librum, cui titulus: *Avis pour dreſſer une Bibliotheque*, ubi multa egregia ad hanc rem pertinentia habentur. Sunt multi alii, partim celebris, partim obſcuri nominis Viri, qui eandem materiam tractare aggreſſi ſunt, quos ſtudio brevitatis omitto.

§. 7. Solius tamen *Garnierii*, Jeſuitæ quondam celeberrimi, mentionem hic repetere ju-

ſtode, confectum, in quo tamen libros nonnullos ab eo conſignatos, qui in Bibliotheca Regia non extent, affirmat *Richardus Simonius* in Bibl. Crit. Tom. III. p. 421. quod an ita ſe habeat, optime nos docere poterit Cl. Dn. *Boivinius*.

* Liber hodie rariſſimus eſt, nec facile comparet in Bibliothecis ſeorſim editus. Ejus editionem iteravit *Melchior Goldaſtus*, qui eum cum *Centuria Epiſtolarum Francofurti* Anno 1610. luci expoſuit, dico cum Centuria, non *Centuriis*, uti vult *Morhofius* in Polyhiſtore Tom. I. lib. 1. c. 7. quem hic erraſſe, ibidem oſtendit *Mollerus*, qui ſupplementa addidit. Idem *Richardi de Buri* liber recuſus fuit *Lipſiæ* Anno 1674. in 8vo cum eadem Epiſtolarum centuria.

vat.

vat. Is, uti ſupra dictum, edidit *Syſtema Bibliothecæ Jeſuitarum Collegii Ludoviciani*, qui liber cum hodie * rarior ſit, forſitan haud ingratum fuerit benevolo Lectori, ſi, quo ordine iſta Bibliotheca adornata ſit, breviter hic ex eo oſtendam. Ita vero *Garnierius*, l. 6. c. p. ſq. Bibliotheca Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu ratione loci dividitur in veterem & novam, pergulam cum ſuo veſtibulo ſuperiore, & muſæa duo, cum ſuis unumquodque pergulis. Anguſtias loci vicit induſtria, & ſpatium, quod porrigi non potuit, ita fecit ſibi neceſſitas, ſuperimpoſitis loculamentis, ut nihil vacuum reliquerit. Bibliothecæ ſingulæ longitudinis pedes habent quatuor & octoginta, latitudinis viginti: pergula, quæ novæ Bibliothecæ ſoli imponi potuit, ipſius longitudinem adæquat. In utraque Bibliotheca diſponuntur libri in folio & in quarto, ut loquuntur; illi in parte adverſa horto, iſti in obverſa: ita ut, qui ad eandem facultatem pertinent, ſibi invicem ex oppoſito reſpondeant, quantum fieri potuit. Pergula novæ Bibliothecæ impoſita cum ſuo veſtibulo continet libros in octavo, ut ajunt, & minori volumine, reſpondentes majoribus utriuſque

* Scilicet, cum iſte liber in privatum tantum hujus Bibliothecæ commodum a *Garnierio* conſcriptus ſit, mirum non eſt, ejus exemplaria hodie rariora eſſe. Vidi ejus exemplar *Pariſiis* in *Bibliotheca Jeſuitarum* hujus Collegii, atque extat etiam aliud hic *Cantabrigiæ* in Bibliotheca *Collegii Trinitatis*, ubi ſelectiſſimus Librorum apparatus habetur.

Biblio-

Bibliothecæ, ſecundum titulos. In muſæo primo aſſervantur codices manuſcripti cum numiſmatibus, & variis tum antiquis tum peregrinis rebus. In altero muſæo includuntur libri prohibiti, ſive qui hæretici, ſive qui alio impietatis nomine infames. In muſæi prioris pergula, quæ majoris eſt appendix, collocantur libri, quibus propter anguſtias in majore locus eſſe non potuit. In muſæi alterius pergula includuntur libri omnes contra bonos mores, præſertim qui a Religioſorum Ordinum oſoribus ſcripti ſunt. Vetus Bibliotheca continet Theologiam & Philoſophiam. In ea ſunt novendecim ordines, ſuis ſinguli alphabeticis literis diſtincti. In primo *Biblia.* In ſecundo, *Gloſſatores, Critici, Tractatores, Catenæ.* In tertio, *Interpretes utriuſque ſimul Teſtamenti.* In quarto, *Interpretes primum ſolius veteris, deinde ſolius novi Teſtamenti.* In quinto, *Collectiones Patrum utriuſque linguæ, Bibliothecæ Patrum* vocantur. In ſexto, *Patres Græci.* In ſeptimo, *Patres Latini.* In octavo, *Theologi ſcholaſtici.* In nono, *Polemici, ſeu controverſiarum de Religione tractatores.* In decimo, *Morales ſeu Caſuiſtæ.* In undecimo, *Aſcetici.* In duodecimo, *Concionatores.* In decimo tertio, *Philoſophi.* In decimo quarto, *Mathematici.* In decimo quinto, *Medici.* In decimo ſexto, *Grammatici.* In decimo ſeptimo, *Oratores.* In decimo octavo, *Poetæ.* In decimo nono, *Philologi.* Nova Bibliotheca complectitur Hiſtoriam & Eunomiam ſive doctrinam Juris: habet vero

unum & triginta ordines, e quibus viginti quinque literis Latinis geminatis; ſex Græcis diſtinguuntur. * In primo *Geographi.* In ſecundo, *Chronologi.* In tertio, *Hiſtoria Univerſalis, quæ Eccleſiaſticam & politicam complectitur.* In quarto, *Hiſtoria Eccleſiæ univerſalis.* In quinto, *Hiſtoria Eccleſiarum particularium.* In ſexto, *Hiſtoria Ordinum Religioſorum.* In ſeptimo, *Hiſtoria Sanctorum.* In octavo, *Hiſtoria Græca.* In nono, *Hiſtoria Romana.* In decimo, *Hiſtoria Italica.* In undecimo, *Hiſtoria Gallica.* In duodecimo, *Hiſtoria Hiſpanica.* In decimo tertio, *Hiſtoria Germanica.* In decimo quarto, *Hiſtoria Belgica.* In decimo quinto, *Hiſtoria Anglica.* In decimo ſexto, *Hiſtoria Septentrionalis, Daniæ, Succiæ, &c.* In decimo ſeptimo, *Hiſtoria regnorum conterminorum Turciæ, Hungariæ, Poloniæ, Moſcoviæ, &c.* In decimo octavo, *Hiſtoria peregrina ſeu novi orbis.* In decimo nono, *Hiſtoria Gentilitia.* In vigeſimo, *Hiſtoria Literaria.* In vigeſimo primo, *Hiſtoria Iconologica.* In vigeſimo ſecundo, *Hiſtoria Naturalis.* In vigeſimo tertio, *Hiſtoria Artificialis.* In vigeſimo quarto, *Hiſtoria Fabuloſa.* Librorum, quibus Eunomia continetur, ordines quinque Græcis literis diſtinguuntur. In primo *Concilia & Literæ Pontificum.* In ſe-

* Literas huc tranſcribere nihil attinet; omnes, quibus iſtam Bibliothecam adeundi facultas contingit, ordinem iſtum literis Alphabeticis deſcriptum facile annotabunt.

cundo,

cundo, *Jus Canonicum*. In tertio, *Jus Civile Romanum*. In quarto, *Jus Gallicum*. In quinto, *Jus externum varium*. In ſexto, *Jus Gentium*. Impoſita novæ Bibliothecæ pergula, cum ſuperiore ſuo veſtibulo, complectitur quinquaginta ordines reſpondentes utriuſque Bibliothecæ ordinibus, ſimilibuſque alphabeticis notis diſtinctos. In veſtibulo exiſtunt omnes *Theologi*, *Scholaſtici* nimirum, *Polemici*, *Morales*, *Aſcetici*, *Concionatores*. In pergula ipſa, *Biblia cum Explanatoribus*, quæ titulis quatuor diſtinguuntur. *Patres Græci & Latini*, qui tribus. *Literarum ſeveriorum Scriptores*, qui tribus. *Literarum humaniorum Authores*, qui quatuor. *Hiſtorici*, qui viginti quinque. *Juriſperiti*, qui ſex. IN MUSÆO PRIMO. Præter numiſmatum ex arte digeſtorum armarium, ſunt ordines quinque. In primo, *Libri manuſcripti Græci*. In ſecundo, *Libri manuſcripti Latini*. In tertio, *Libri manuſcripti peregrinarum Linguarum*. In quarto, *Libri manuſcripti nondum editi PP. Societ. Jeſu*. In quinto, *Libri manuſcripti aliorum nondum editi*. IN MUSÆO ALTERO. Diſponuntur † hæreticorum & impiorum libri in octo ordines. Primus continet *Impios & Infideles*. Secundus, *Lutheranorum prodromos & Lutheranos ipſos*. Tertius, *Zwinglianos*. Quartus, *Calviniſtas Batavos cum Palatinis & aliis Germanis*. Sextus, *Anglos Proteſtantes*. Se-

† Scilicet ex hypotheſi Pontificiorum, quam refutare non eſt hujus loci.

ptimus, *Socinianos.* Octavus, *Recentiſſimos.* * Hactenus *Garnierius.*

§. 8. Tandem, cum omnes Bibliothecæ non habeant omnia, non juvat modo, ſed prodeſt etiam intelligere, in quonam illæ potiſſimum emineant. Atque eam ob rem, ni fallor, haud male de literatorum, peregrinantium præcipue, commodis merebor, ſi *noſtrarum* characterem, quoad ejus fieri poterit, ſalvoque rectius ſentientium judicio, paucis verbis hic exponam. Bibliothecæ *Regiæ* quidem nullam nunc inſtituo cum reliquis comparationem, niſi quod ea omnes cæteras longiſſimo poſt ſe relinquat intervallo, atque in omnibus plane ſcientiarum generibus tanto Rege digna ſubſidia contineat. Felices, quibus ad iſtam Bibliothecam aditus patet! Feliciores, qui ea uti ſciunt! *Colbertina* in omnibus quoque admirabilis eſt; inprimis in *Antiquitate ſacra* atque *Eccleſiaſtica* excellit, plurimoſque hic exhibet *Codices manuſcriptos* longe præſtantiſſimos. Quod idem & de Bibliotheca *Benedictinorum San-Germanenſi* habendum. *Sorbonicæ* magnus eſt in *Theologicis* apparatus, nec felicius atque perfectius, quam hic, *Facultatis Theolo-*

* Neſcio ſane in quam Logicæ diviſionis claſſem referre debeam, quod in numero Hæreticorum hic ponantur *Recentisſimi;* neque a me exigat Benevolus Lector, ut, quinam iſto nomine intelligantur, ipſi explicem. Nam libri illi *Heterodoxi*, uti a Pontificiis vocantur, quaſi in carcere detenti, a nemine, qui iſtas Bibliothecas adit, evolvi atque perluſtrari poſſunt.

gicæ

gicæ Pariſienſis acta authentica inveneris. Eadem quoque in *vetuſtioribus editionibus*, iis inprimis, quæ *Lutetiæ* primum apparuerunt, præſtantia eminet; in quo Bibliotheca *Cæleſtinorum* eam pone ſequitur, in ſtudiis philoſophicis atque literatura elegantiori caſſa pene virtute recedit *Bibliotheca S. Victoris*, ſed habet ea tamen, de quo glorietur, ſi *Theologica* atque *Eccleſiaſtica* conſideres; præcipue *manuſcripti Codices*, qui hic inveniuntur, ab Eruditis attendi merentur. Non valde ei diſſimilis eſt *Bibliotheca S. Genovefæ*, niſi quod hic pauci ſint Codices manuſcripti. Bibliotheca *Jeſuitarum Collegii Ludoviciani* in omnibus inſtructiſſima eſt; a Codicibus *manuſcriptis*, *Græcis* præcipue, commendari meretur. Altera, quæ ad Collegium *Domus Profeſſæ* pertinet, *ferri* poteſt. Bibliotheca *Mazariniana* in *Philoſophicis*, *Philologicis*, *Theologicis*, atque *Eccleſiaſticis* ex æquo laudari meretur. *Manuſcriptos* autem *Codices* hic *nullos* quære, vel *rariſſimos*. Bibliotheca *Patrum Oratorii* præter apparatum *Hiſtoricum* in *Orientalibus* palmam præripit quam plurimis; quæ eadem quoque ratio eſt Bibliothecæ *Prædicatorum in via Honorati*. Bibliotheca *Auguſtinianorum Diſcalceatorum* in *nullis deficit, & in nullis excellit*; Bibliotheca vero *Minimorum* in *Liturgicis maximam* ſupellectilem præbet.

§. 9. Poſt *Bibliothecarum* cognitionem proxima eſt de ipſis *libris* tractatio, quam alteram inſtituti noſtri partem eſſe, ſupra annotavi. Quatuor vero hic maxime conſideranda veniunt:

unt: primo *Auctor;* ſecundo *Editio*, tertio *contenta*. 4. *Fata* Libri.

§. 10. In Auctore quatuor potiſſimum * expendi merentur. 1. *Vita.* 2. *Fama.* 3. *Fata.* 4. *Character ſcribendi.* Circa vitam diſpiciendum, num ſit Vir honeſtus, & probus? Hoc enim & pretium dat ipſius laboribus, & ipſi quoque contra omnes malevolorum calumnias, quibus Viri honeſtiſſimi deque literaria meritiſſimi ſæpius obnoxii ſunt, optimas vindicias præſtat, quippe

- - - - *Hic murus aheneus eſto*
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

§. 11. Poſt vitam & eruditionis Fama attendi ſolet. Ea non modo Auctorum libris, ſed, quod magis mirandum, ipſorum quoque Bi-

* Sunt, fateor, multa alia, quæ in Auctore aliquo conſiderari poſſunt; uti *Nomen*, quo pertinet quoque quæſtio de *Anonymis* & *Pſeudonymis*. *Patria; Ætas; Religio*, &c. quæ omnia ſuum momentum habent in Hiſtoria Literaria; & quæ prolixiorem diſquiſitionem merentur. Ego unum hoc annoto, in quolibet Auctore plurimum intereſſe, ut *tempus*, quo vixit, & ſcripſit, probe perſpectum habeas. Ita ſententiam *Auguſtini* de *gratia & prædeſtinatione* non conciliaveris, (ſi quidem ea, quæ ſibi invicem oppoſita ſunt, nullo modo conciliari poſſunt) niſi diverſa tempora, quibus ille ſcripſit, probe intellexeris. Interim *Moliniſtæ* & *Janſeniſtæ* utrique contraria ſua ſyſtemata ex *Auguſtino* probant, & utrisque etiam, quanquam his magis quam illis, in diverſis locis favet. Lis adhuc pendens eſt, cum interea glorietur Eccleſia Romana, non *Scriptura*, ſed *traditione* ſola omnes fidei controverſias uno quaſi momento decidi poſſe.

blio-

bliothecis inſigne decus conciliat. Memini, cum *Pariſiis* pro auctione venderetur Celeberrimi *Baluzii* Bibliotheca, maximum tum literatorum confluxum fuiſſe, quorum alii ſpectandi, alii emendi cupiditate acceſſerant; acciditque illo tempore, ut exiguæ quandoque molis libri, in quibus olim *Baluzius* ſingulare aliquod pretium collocaverat, vel ubi vivus ad marginem aliquid annotaverat, pro triginta, quadraginta, & quod excedit, libris venderentur, quaſi jam *Baluzii* ſpiritus in ipſos libros transmigraturus fuiſſet.

§. 12. Dixi porro in Auctore conſideranda eſſe ejus *Fata*. Multiplex uſus exinde enaſcitur, quorum hi duo præcipui ſunt, ut hoc modo primo de iſtorum Auctorum ſcriptis, deinde de iſtius temporis, in quo vixere, conditione atque ſtatu eo melius judicare poſſis. Id ſupra jam allatum *Launoii* Exemplum oſtendit, cui qui adjungere voluerint vitam *Richerii*, præſtantiſſimi itidem quondam Doctoris *Sorbonici*, a *Bailleto* editam, eandem rem plurimis documentis obſervatu longe digniſſimis comprobatam invenient.

§. 13. Denique & *character ſcribendi* in quovis auctore obſervandus, id quod & primarium artis Criticæ munus eſt; namque hoc modo ſcripta genuina a ſuppoſititiis optime diſtingui poſſunt. Ita judicat *Eraſmus*, poſteriora Capita *Baſilii* in Tr. de Spiritu Sancto ad Amphilochium eſſe ſuppoſititia, ob magnam ſcilicet ſtyli diverſitatem, cui & adſtipulatur *Cocus* in Cenſura Patrum. Sunt infinita alia

exempla, quæ hic allegari poſſent, ſed nimis longum foret, ea huc adferre; hoc modo cautelæ loco hic annotare liceat, quod in dijudicandis ſcriptis genuinis vel ſuppoſititiis majus pondus collocandum ſit in ſtyli *diverſitate*, quam *conformitate*; quod ſi enim genus ſcribendi ejusmodi ſit, ut illud plane adverſetur genio atque indoli ſcribendi alicujus Auctoris, recte exinde concluditur, hunc non eſſe ipſius fœtum; at, ſi aliquod opus ei attribuatur, quod ejus ſcriptionem ſapiat, exinde non firmiter & ſine formidine oppoſiti colligitur, hoc eſſe revera iſtius Auctoris opus, cujus ſtylum repræſentat, namque fieri poteſt, ut duo diverſi Auctores eandem quandoque ſcribendi rationem ſequantur; *Les bons éſprits ſe rencontrent quelquefois.* Imo in ipſis *Eccleſiæ Patribus* hoc quandoque * obſervatur, ut unus alterius verba exſcribat, Autore non nominato; ubi illud maxime lepidum eſt, ut, quando illi ætate ſe proxime attingunt, plane in dubio poſitum ſit, uter alterum deſcripſerit. Ita multa dicit *Minutius Felix*, quæ iisdem verbis apud *Cyprianum* in libro de Idolorum vanitate leguntur, *Balduinus* exinde concludit, *Minutium Felicem*

* Vid. Cypr. de Idolorum vanitate ed. *Rigaltii* p. 206. Hodie ſi quis alieno vitulo arat, verbisque & argumentis Auctoris alicujus utitur, ipſo non nominato, id plagium literarium dici ſolet; at olim forſitan mitius de iſta re ſentiebant; quemadmodum *Hieronymi* ætate, qui verba proferebat ab animi ſenſu diſſonantia, per *œconomiam* loqui dicebatur. Vid. Sentim. de quelq. Theol. ſur l' Hiſt. Crit. p. 60.

Cypria-

Cypriano poſteriorem eſſe; *Rigaltius* vero illum priorem facit; cui & aſſentiri videtur *Tillemontius* in Hiſt. Eccl. T. III. pag. 647. Nulla me neceſſitas urget, ut hanc litem meam faciam; ſufficiat his exemplis probaſſe, quod ex ſimilitudine certarum quarundam locutionum non firmum atque authenticum argumêntum pro Auctore alicujus libri peti queat.

§. 14. Præterea & hunc uſum præſtat obſervatio characteris in quocunque ſcribente, ut illius beneficio eum eo melius intelligere, atque de ſenſu quoque verborum ipſius eo ſolidius judicare poſſis. Nam prout in communi converſatione eorum, cum quibus agas, linguam & loquendi conſuetudinem noſſe oportet, ſine qua notitia cum fructu inter eos converſari non licet; ita & in lectione alicujus Auctoris, quæ mutua quaſi cum eo συζήτησις, vel ſermocinatio eſt, permagni intereſt, ut ipſius linguam & characterem loquendi probe intelligas; quo ipſo & ſenſus verborum eo certius ac liquidius patebit. Unde optandum foret, ut non modo in explicatione Actorum claſſicorum, verum etiam in Scripturæ & Patrum Eccleſiæ interpretatione ii, qui alios inſtruunt, ſubinde eos ad hanc obſervationem revocarent, atque inde quaſi explicationis initium caperent; Auditoribus ſuis maximum ſine dubio emolumentum eo modo præſtituri.

§. 15. Hæc vero characterum inveſtigatio, hæc uſitatarum loquendi formularum notitia ex variis fontibus hauritur, ſpeciatim ex genio atque indole Linguæ, quam proinde noſſe o-

I 5 portet;

portet; quo & differentia dialectorum pertinet, in Poetis maxime Græcis attendenda. Juvat etiam conſiderare, in qua natione ſcriptor aliquis vixerit, item quo tempore, quibus circumſtantiis, & ad quos potiſſimum ſcripſerit. Nam id non profanis modo, ſed & Sacris Scriptoribus in uſu fuit, ut ſuos ſermones ad conſuetudinem vel ritus in aliqua regione receptos accommodarent, ut, quando Chriſtus ad ſuos diſcipulos ait: *Quod Vobis dico in aurem, hoc palam facite in tectis*, alludit ad morem in Orientalibus plagis receptum, ubi in tectis, quæ plana & ad ambulandum compoſita erant, multa ad populum divulgari ſolebant. Ita porro *Hieronymus* de Græcis Patribus loquens, eos pro *dactylis ramos palmæ traxiſſe* dicit, quippe verſionem Septuaginta Viralem potius, quam veritatem Hebraicam, quam pauci inter eos callebant, ſequentes; quo ipſo alludit ad morem loquendi in regione palmifera uſitatum; ubi is, quem ſpes fruſtratur hiantem, *ἀντὶ Φοινίκων τὰ βάϊα σύρειν* dicebatur; uti recte etiam id Vir Clariſſimus *Joannes Clericus* contra *Martianæum*, Monachum Benedictinum Pariſienſem, annotavit. Ex dictis colligitur, non mirandum, quod multa in V. Teſt. maxime in ſcriptis Moſis & Prophetarum a ſagaciſſimis Interpretibus cognoſci nequeant; quia nimirum in plurimis locis nec de ſcopo dicentis, nec de omnibus circumſtantiis materiæ, nec denique de plurimis, iſto tempore receptis conſuetudinibus, nobis hodie ſatis conſtat; unde in

his

his aliquid prudenter ignorare velle, pro maxima ſapientiæ parte reputandum.

§. 16. Dixi ſecundo loco in æſtimando libro habendam eſſe editionis rationem. In hac tria præcipue conſideranda veniunt, *tempus*, *locus*, & *forma*. Circa primum diſquiritur, quo ſeculo, quove anno liber aliquis ſit conſcriptus atque editus? Habent & Scientiæ ſuas viciſſitudines, & ſuas quaſi periodos, ſecundum quas ipſarum pretium variat, & modo minuitur, modo augetur. Deinde & unum tempus præ altero magis aptum eſt ad bonos libros procurandos. Vidimus, nunquamglorioſius pro veritate certamen initum, quam ubi ea ab Adverſariorum ſtrage victrices laureas ac ſuperba trophæa expectavit. Quemadmodum Eccleſiæ primitivæ nihil magis, quam perſecutiones profuere, cum ſanguis Martyrum eſſet ſemen Eccleſiæ, uti ait Tertullianus, atque Chriſtianæ Religionis veritas tum fortiſſime aſſerta, eluſis omnibus Hoſtium Dei machinis ac ſtrophis, in toto orbe victrix caput exſereret; ita recentiſſimis his temporibus nunquam Eccleſiæ Proteſtantium major lux affulſit, nunquam pro eadem præſtantiores libri conſcripti atque editi ſunt; quam ubi ea vim & injuſtitiam hoſtium experta, in arenam cum iis deſcendere viſa eſt. Norunt id, quibus aliquid conſtat de fatis Eccleſiæ Anglicanæ, itemque de iis, quæ Proteſtantes ſuperiore ſeculo in Gallia experti ſunt. Prudens ergo hiſtoriæ literariæ cultor ad illa ſedulo attendit, atque libris difficillima iſta tempeſtate editis dignum pretium ſtatuit, quales ſunt

ex. gr. ex Gallis ſcripta *Chamierii*, *Mornæi*, *Dallæi*, *Albertini*, *Claudii* &c. ex Anglis *Laudii*, *Parkeri*, *Bramhalli*, *Stillingfleti*, *Tillotſonii*, *Chillingworthi*, *Burneti* & aliorum; qui omnes de Religione Proteſtantium immortaliter meriti ſunt, & quorum memoria nobis ſemper cara & ſacra eſto.

§. 17. Præterea editionis tempus in quolibet libro examinare, magni refert, quia una quandoque altera vel magis vel minus perfecta cernitur. Inde, qui non ita fungus eſſe cupit, ut omnia emat, nullo habito rei diſcrimine, is utique ad hæc quoque attendere tenetur. Ita in Bibliotheca Eccleſiaſtica *Dupinii* priorum ſeculorum, quæ anno 1693, & ſequentibus luci expoſita eſt, deficiunt multa, quæ antea ibi extabant; atque inter alia ejus ſententia de *Neſtorianiſmo*, quod ſit mera λογομοχία, quam anno 1693. retractare coactus fuit. Contra dantur aliæ librorum editiones, ubi poſteriores editiones prioribus magis integræ atque perfectæ extant. Quæ fata fuerint Pariſiis Epiſtolæ *Chryſoſtomi* ad *Cæſarium*, in qua tam illuſtre teſtimonium contra *transſubſtantiationem* continetur, eruditi optime norunt; licet vero *Bigoto*, qui eam primum cum vita hujus Patris edere voluit, hoc fuerit interdictum, ea tamen poſtea lucem evitare non potuit, uti eruditis conſtat. Et propediem etiam in 3. Tomo opp. *Chryſoſtomi* Vir doctiſſimus P. *Montfauconius* eam luci ſiſtet, quæ hactenus in nulla operum *Chryſoſtomi* editione comparuit.

§. 18. Poſt *tempus* editionis juvat atque plu-

rimum

rimum prodeſt etiam obſervare *locum*, in quo liber aliquis prodiit. Nam ut nihil de eo dicam, quod, qui librum ſibi comparare cupit, noſſe debeat locum, ubi ſcriptus eſt, ſi eum non aliter niſi ex longinquo intervallo accerſere poſſit; duæ aliæ ſunt rationes, majoris, ut arbitror, momenti, quæ ſuadent, ut prudens librorum æſtimator etiam loci notitiam habeat, qui ipſos in lucem tulit. Vel enim liber aliquis doctrinas complectitur, vel facta; ſi illud, cum certum ſit, unam vel alteram ſcientiam in quibusdam regionibus magis, quam in aliis excoli, a prudentia nihil alienum agit, qui in emendis libris etiam hæc loca, in quibus iſtæ ſcientiæ florent, præ aliis adeat. Ita cum negari non poſſit, Mathematicæ ſtudium hodie ad ſummum culmen in Anglia evectum, curante inprimis hujus artis incrementa Celeberrimo *Newtono*; operæ pretium fuerit, ut, qui in hac ſcientia excellere cupiunt, etiam ſcripta tam præſtantium Virorum, & præſertim laudatiſſimi *Newtoni* ſibi comparent. Rurſus quod Theologiam attinet, qui eruditos atque ſolidos ſermones legere cupiunt, hi ſane in ſcriptis præſtantiſſimorum Theologorum Angliæ, ut *Barrovii*, *Stillingfleti*, *Tillotſonii*, *Burneti*, & viventis adhuc ampliſſimoque cum ſucceſſu Eccleſiæ Anglicanæ præſidentis *Illuſtriſſimi atque Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi Cantuarienſis WAKII* ſermonibus ſolidam Theologiam, atque Spiritum vere Evangelicum invenient.

§. 19. In Gallorum Sermonibus tam ſcriptis,

quam

quam iis, quos *Lugduni* & *Lutetiæ* ſæpius audivi, hoc peculiare obſervavi, quod illi textui propoſito non diu inſiſtant, ſed inde tantum materiam dicendi ſumant, quæ non in exegeticis diſquiſitionibus, ſed moralibus tantum obſervationibus conſiſtit. Conſtat hoc ex editis ſermonibus D. *Burdelotii*, *Flechierii*, *Maſſillonii*, qui inter præſtantiſſimos Galliæ oratores ſacros referuntur; ac de primo etiam notandum, quod licet fuerit *Jeſuita*, ipſius tamen Sermones placita moralia iſtius ordinis non ſapiant. His tamen infinitis paraſangis præfero Sermones Gallicos Reformatorum, in quibus & major doctrinæ puritas conſpicitur. Inter hos eminent *Pictetus Genevenſis*, *Saurinus Hagienſis*, &c. qui, præter alia eruditionis documenta editis præſtantiſſimis Sermonibus Eccleſiam Proteſtantium ad ſingulares gratias devinxerunt. Mitto jam alia ſcientiarum genera, in quibus has vel illas regiones florere conſtat; ac proinde huc quoque animus pro circumſtantiarum varietate converti debet.

§. 20. In quacunque librorum editione *locus* porro eſt attendendus, quando *de rebus facti*, adeoque de ſcriptis *hiſtoricis* agitur. Nam cum nullibi minus, quam in Hiſtoria partium ſtudium valere debeat; ad hoc vero neceſſarium ſit, ut ſcriptori ſua attribuatur libertas; ultro exinde colligitur, quod ab iis locis, ubi, non quid verum ſit, ſed quid magis hominibus arrideat, ſcribere oportet, nihil ſolidi, nihil etiam, quod vero reſpondeat, expectari poſſit. Ita, ſi Romæ ventilanda eſſet

quæſtio

quæſtio de Poteſtate Papæ, nolim ſane, ut ab iſta deciſione veritas dependeret: *nam quid boni a Roma hodierna proficiſcetur?* Sed id quidem vix adeo nobis mirum videtur, quod ibi libertas exulet; intereſt enim Capitis Eccleſiæ Romanæ, ut ejus membra mancipia ſint; † verum hoc magis obſervatione dignum nobis apparet, quod in ea Eccleſia, quæ non adeo ſtipes eſt, quemadmodum cæteræ, quæque libertatis ſuæ privilegia ſubinde contra prætenſiones Ultramontanas vindicare auſa eſt, nihilominus quandoque inciderint tempora, ubi non quid ſentias, nec quid conducat, ſed quid adulatoribus Curiæ Romanæ placeat, ſcribere oportuit, &, quod valde admirandum, libertatem Eccleſiæ Gallicanæ nullibi minus quam in Gallia ipſa defendere licuit. * Unde *Grotius*, cum de interdicto Regis Galliæ ed. an. 1639. loquitur, quo prohibebat, ne ſententiarum Parlamenti pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ collectio fieret, eaque in publicum prodiret, hanc obſervationem ſubjungit; *mirum eſt pro Regibus ſcribi Lutetiæ non licere, cum Romæ quotidie contra Reges & eorum jura libri fiant.* Vid. P. 1. Ep. 982. Et quis adeo hoſpes eſt in recenti cauſa Conſtitutionis, qui neſciat, quam arctis limitibus libertas loquendi ac ſcri-

† Vel, ſi mavis, ut ipſe Papa ſit mancipium ſuorum membrorum; admodum enim veriſimile eſt, quod Curia Romana tam animoſe defendat infallibilitatem Papæ, non propter Papam, ſed propter &c.

Tu regere imperio populos, Romane, memento!

* Conf. ſupra p. 105. 106.

bendi

bendi hic ſæpe fuerit reſtricta, præſertim regnante adhuc *Ludovico XIV.* qui nec videre nec ferre potuit eos, qui ſe iniquiſſimis Papæ cenſuris ac affectatæ poteſtati maſcule opponerent, & Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ tueri ſatagerent. Inde factum eſt, ut iſto tempore in multorum ſcriptis candor defecerit; & quod plerumque fieri ſolet, cum libertate exularit Veritas, adeo ut quid Gallia de ſua libertate ſentiret, & in quo illa conſiſteret, non jam in Gallia, ſed extra Galliam in locis,

- - - ubi regnat amico
Fœdere libertas, & cogi neſcia floret
Relligio.

docere licuerit. Unde etiam doctisſimus atque Celeberrimus *Baſnagius* in quodam libro, cui titulus *l'unité, la viſibilité, l'autorité de l'Egliſe, & la verité renversées par la Conſtitution de Clement XI.* inter alias obſervationes hanc ſatis lepidam annectit, *que la chaire de la verité & la viſibilité de l'Egliſe dependent préſentement de la Hollande & de la ville d'Amſterdam,* nam ibi potiſſimum libere in hac materia tum temporis ſcribere licebat.

§. 21. Ea ergo, quæ hactenus a me dicta ſunt, eo pertinent, ut etiam in æſtimandis librorum editionibus, eorum præcipue, ubi factum Hiſtoricum tractatur, loci habeatur ratio, quippe in quo, ſi nulla ſcriptoribus libertas concedatur, nec ab iis aliquid ſolidi & veri expectari poteſt. At vero dari ejuſmodi locorum circumſtantias, ubi non quid ſentias, & quid verum ac revera utile, ſed quid hominibus gratum

tum ſit, ſcribi ſoleat, exempla jam allata oſtendunt, quibus & alia, ſi id per inſtituti rationem fieri poſſet, addere facile poſſem. Ea enim ſæpe Eccleſiæ facies eſſe ſolet, ut veritatem dicere, pro erroris culpa habeatur. Unde & vetus ille Philoſophus, malle ſe, inquit, *Athenis* ſalem lingere, quam apud *Craterum* opipara frui menſa; ſentiens, libertatem, utcunque pauperem, majoris tamen æſtimandam, quam omnes divitum delicias, quando iis cum libertate frui non poſſis. Sed de libertate hactenus loquor, non de effreni quidvis garriendi atque effutiendi licentia, quæ utique, maxime ſi contra bonos mores, vel communem Reipublicæ tranquillitatem aliquid audeat, frenis coerceri meretur.

§. 22. Dixi tertio loco in editionibus quoque ſpectandam eſſe *formam;* ea vero duplex eſt, *externa*, vel *interna*, illa verſatur in conſideratione *papyri*, quæ quo nitidior eſt, eo majorem quoque elegantiam alicui libro conciliat, eoque ſuavior eſſe ſolet ejus lectio. Porro huc pertinent * *Typi*, quibus impreſſus eſt aliquis liber, quos utique attendere juvat & prodeſt; item, num forma ſit in *duodecimo*, in

* Ita præſtantiſſimis typis olim utebatur *Robertus Stephanus*, favente *Franciſco* I. qui Typographiam æque ac literas ſumma munificentia promovit. Vide pro ſpecimine N. T. a R. *Stephano* editum A. 1549. Cujus Præfatio incipit: *o Mirificam Regis noſtri - - - - liberalitatem*; unde iſta editio quoque communiter a Librariis O! *Mirificam* dicebatur.

K *octavo*,

octavo, in *quarto*, an in *folio*. Quæ omnia facilia & cognitu plana videntur. Circa formam internam diſpiciendum, an aliqua editio ſit integra, vel manca, vitioſa, vel recta atque nitida. Id jam ſupra exemplis illuſtravi, quibus addi poteſt duplex editio Hiſtoriæ Gallicæ a *Mezeraio* ſcriptæ, ubi notandum, quod altera editio, quæ comparuit Anno 1665. priori ſit longe præſtantior. Ejuſdem Hiſtoriæ compendium prodiit, cujus prior editio ad An. 1668. poſteriori Anno 1673. perfectior eſt. Illa hodie rariſſima eſt; vidi *Pariſiis* exemplar ejus in Bibliotheca *Auguſtinianorum Majorum*. Sic porro quod præſtantiſſimam *Thuani* Hiſtoriam attinet, editio *Genevenſis* reliquis omnibus præferenda.

§. 23. Atque hæc conſideratio nos porro deducit ad tertium propoſitæ quæſtionis membrum. Dictum enim eſt in libro æſtimando hæc potiſſimum occurrere, *Auctorem*, *Editionem*, *Contenta*. De duobus prioribus jam abunde ſatis actum eſt; de tertio nunc breviter & tribus, quod ajunt, verbis aliquid dicendum reſtat. Circa *Contenta* igitur hæc duo attendenda ſunt, *res* & *modus rei*. Ad illas potiſſimum converti animus deberet, ſed conſtat homines pro diverſo ſuo guſtu magis quandoque cortici quam nucleo adhærere, h. e. potius ad ſtylum & modum proponendi, quam ad rem propoſitam reſpicere. Id negari non debet, quod magna vis ſit in dicendo poſita, eorumque labor majorem fructum habeat, qui, quod ſentiunt, apte, ornate, & eleganter proponere,

atque ſic verba rebus adaptare poſſunt. Quod utique & ſubinde optandum foret, nempe ut decora dictio orationem rebus abundantem illuſtraret; quod ſi vero unum ab altero ſeparari debeat, præſtat utique ad res potius, quam ad verba attendere, cum, ut ſimili ſupra jam notato utar, ſine dubio feliciores ſint, qui *dactylos pro ramis palmarum, quam qui palmas pro dactylis arripiunt.* Dum hæc ſcribo, incidit mihi in memoriam lepida comparatio, inter *Eraſmum, Melanchthonem,* & *Lutherum*, de quibus Vir quidam doctus ita judicavit: *Eraſmus* verba ſine rebus; *Melanchton* res ſine verbis; *Lutherus* vero & res & verba conjunctim exhibet: in qua comparatione quanta ſit ſoliditas, lectori judicandum relinquo. *Eraſmum* quidem certe hic non pro merito laudatum, exiſtimo.

§. 24. Quod vero ſtylum atque proponendi modum attinet, attendenda ſunt in quovis libro *puritas, claritas, perſpicuitas, brevitas*; virtutes ſtyli maximæ, ſed raro conjunctæ, quin potius multis evenit, quod ait Poeta: *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio.* Acquiruntur vero hæ ſtyli perfectiones variis modis atque mediis; ego unum vel alterum ſolum breviter attingam. *Puritas* obtineri poteſt non modo ſolida atque exacta Grammatices notitia, ſed ſtrenua etiam lectione omnium eorum Auctorum, qui eo vixerunt tempore, quo aliqua Lingua in ſuo nitore & puritate maxime viguit. Ita obvium eſt, quod, qui facultatem latine loquendi ſcribendique adipiſci volunt, legere debeant opera *Ciceronis, Terentii, Virgilii, Ovidii, Horatii,*

ratii, aliorumqne Auctorum, qui eo tempore floruere, ubi Latinitas in ſummum faſtigium erat evecta. Qui in Græcis aliquid præſtare cupiunt, his inter Auctores Proſaicos maxime adeundus erit *Demoſthenes*, inter Poetas autem *Homerus*; Græcorum non modo, ſed omnium Poetarum Princeps, qui & Græci ſermonis conſummatam habebat notitiam; quem *Velleius Paterculus* ita admiratus eſt, ut diceret, neminem ante eum fuiſſe, qui paria præſtiterit, neque poſt eum futurum, qui ipſum imitari poſſit. Sed in Poetis tamen pro conſervanda linguæ puritate cavendum, ne quædam liberiores locutiones, quales Poetis licitæ ſunt atque familiares, ex illis in dictionem proſaicam immiſceantur. Sermonis *claritas & perſpicuitas* inprimis acquiritur, ſi eam rem, de qua oratio inſtituitur, probe calleas, atque claras & diſtinctas ideas habeas. Nam clare cogitet oportet, qui clare loqui & ſcribere cupit; ſermo enim eſt mentis effigies.

§. 25. Ob eandem rationem optandum eſſet, ut nunquam in ſcenam literati orbis prodiiſſet Philoſophia Scholaſtica, quæ tot obſcuris atque inanibus nihilque ſignificantibus quæſtionibus repleta eſt, ut, qui in iſto ſtercore nidulantur, fimum pro auro vendere videantur. *Quid profuerit Tibi*, inquit Eraſmus, *in diſſ. de ſtudio Theologico, concinnaſſe Syllogiſmos in Celarent aut Barocco de Crocodilo diſputans, ſi neſcias, quod arboris aut animantis genus ſit Crocodilus.* Et, ſi quicquam aliud, illud certe quam maxime dolendum eſt, quod iſtæ paleæ

etiam

etiam cum puro Theologiæ tritico commixtæ ſint, atque doctrina Chriſtiana, ſancta utique & ſimplex, iſtis eruditis nugis vitiata fuerit. Unde idem *Eraſmus* porro ait: *ut ingenue, quod ſentio, dicam, mihi parum tutum videtur ad Theologiam deſtinato in profanis ſtudiis, præſertim* ALIENIORIBUS, *conſeneſcere; fit enim, ut qui palatum ac linguam multo abſinthio habent infectam, iis, quicquid deinde viderint, eo ſeſe offerat colore, quem ipſi ſecum in oculis glaucomate vitiatis, circumferunt. Ita qui bonam vitæ partem in Bartholis ac Baldis, in Averroibus, in Holcolis, Bricotis, ac Tartaretis, in Sophiſticis cavillationibus, in confuſiſſimis ſummulis, ac collectaneis poſuerunt; iis Divinæ literæ non ſapiunt id, quod ſunt, ſed quod illi ſecum afferunt. Etenim ut elegans eſt fortaſſis in tractatione Divinarum literarum non nihil velut ab exoticis illis opibus obiter adſpergere, ita vehementer abſurdum videtur, cum rem tractes ab omni ſapientia mundana longe diverſiſſimam, nihil crepare, niſi Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, Averroem, & his profaniores; ad horum opiniones velut oracula obſtupeſcere.* Denique paulo poſt: *Taxatur Chryſippus, quod totas tragœdias in ejus commentariis, quos de Logica conſcripſit, reperire licuerit; quo juſtius nos taxaverit aliquis, ſi videat, plus quam totum Ariſtotelem in Theologorum Commentariis inveniri?*

§. 26. Quod brevitatem attinet, ea ex circumſtantiis metienda eſt; fit enim quandoque, ut & brevitas vitium ſit, ut, quando in materiis,

 quæ

quæ floridum dicendi genus deſiderant, quales ſunt *Panegyrici*, vel etiam diſſertationes morales, brevitati nimis ſolicite ſtudetur; ea vero maxime ornat narrationes Hiſtoricas,in quibus circumſtantiæ rerum probe ponderandæ, atque nervoſo & brevi, perſpicuo tamen & claro, ſermonis genere proponendæ; in quo *Salluſtius* ceteris Hiſtoricis palmam præripuiſſe videtur.

§. 27. In controverſiis etiam atque diſquiſitionibus dogmaticis ſuus brevitati locus, atque ibi inprimis eo elaborandum, ut paucis multa dicantur. Nam quemadmodum ea non ſemper eſt optima ſententia, quam

Defendat numerus, junctæque umbone phalanges.

ita & in argumentis ipſis non eorum mole, ſed bonitate certandum; atque hinc præciſis iis, in quibus nihil vel parum eſt roboris & inſtituto idonearum rationum ſelectu, erudita & nervoſa brevitas exſurgit.

§. 28. Nihil ergo agit *Maſſuetus*, * dum *Photio*, qui *Irenæum ſpuriis quibuſdam rationibus* certam veritatem fucaſſe dixerat, ita reſpondet: *In quæ Irenæi ſcripta, ſcriptorumque loca digitum intenderit Photius, incertum. Sed ſi is ſit Photii verborum ſenſus, infirma interdum argumenta, ad probandas certas fidei veritates ab Irenæo adhiberi; leviſſimum vitii genus eſt, omnibus fere ſcriptoribus commune, quodque eo difficilius cavere quis poteſt, quo adverſarios ſtudioſius inſectatur, ac omnigenis*

* Vid. Edit. Iren. Diſſ. præl. p. 106.

argu-

argumentis obruere nititur. Quis enim auctor tantum valeat, ut ea omnia, quibus adverſarios refellit, argumenta totidem demonſtrationes ſint? miram vero elegantis ratiocinii connexionem! Primo *ſpurias* rationes interpretari ſe poſſe putat per *infirmas*; quæ duo paulo a ſe invicem differunt. Deinde male ita tuetur provinciam ſuam, ut ex dictis patet. Cur enim quæſo *leviſſimum vitii genus* erit, *ad probandas certas fidei* veritates *infirmis rationibus* uti? aut ſi veritates, quæ iis rationibus probantur, *certæ* ſunt, cur iſtæ *infirmæ* dici merebuntur? at dicit, difficilius eſſe, evitare *infirmas rationes, quo ſtudioſius aliquis contra adverſarios diſputat;* ego vero potius contrarium credidi; nam quo ſtudioſius contra adverſarios diſputavit *Irenæus*, eo *firmioribus* opus erat rationibus; ſed videamus, quid ex *Maſſueti* ſententia ſit, *diſputare ſtudioſius?* ſcilicet, ut ait, *omnigenis argumentis obruere adverſarium*, hoc eſt, *infirmis*, *levibus*, & *ſpuriis*. Nihil enim aliud ſequitur ex toto hoc Viri clariſſimi diſcurſu; atque ita etiam claudit ſuum Prologum: *Non tamen hactenus dictis negaverim, quin apud Irenæum ſpuriæ quædam occurrant rationes, quibus revera Eccleſiaſticorum dogmatum veritas fucetur potius quam illuſtretur:* & antea; *Neutra tamen* (diligentia) *Irenæo defuit; ita tamen ſibi ſemper non cavit, ut aliquando non offenderit, ſed plerumque levius: ſicubi vero paulo gravius, eo magis error condonandus, quo nondum ſatis ad liquidum exploratis certis quibuſdam doctrinæ Chri-*

 ſtianæ

ſtianæ capitibus, vix fieri poterat, ut attentioribus etiam animis nebulas non offunderent præconcepta quædam ac communes priorum ſeculorum opiniones. His verbis dixit Clariſſimus *Irenæi* defenſor, quicquid ad deſtruendam *traditionis* auctoritatem dici poterat; & tamen in eadem diſputatione Proteſtantibus tanquam horrendum crimen objicit, quod ſola Scriptura contenti, *Traditionem* pro fidei regula amplecti nolint; qui tamen in eo nihil aliud agunt, quam quod ab *attentioribus animis* requiritur, *qui a præconceptis atque communioribus ſeculorum opinionibus liberati*, pro veritatis luce non temere & ſine prævio examine *nebulas ſibi offundi* patiuntur ab iis, qui, licet ætatem Apoſtolicam attigiſſent, (ubi puriſſimus eſſe debebat traditionis canalis) tamen non *ad liquidum exploraverant certa quædam doctrinæ Chriſtianæ Capita, & ſpuriis rationibus ſæpenumero uſi erant, quibus revera Eccleſiaſticorum dogmatum veritas fucetur potius quam illuſtretur.* Quod denique dicit Vir Clariſſimus, non poſſe exigi a quocunque Autore, ut omnes ejus rationes ſint totidem *demonſtrationes*; id quidem aliquo modo ferri poſſet, niſi *demonſtrationibus* hic opponeret *argumenta omnigena*, hoc eſt, rationes *leves, infirmas & ſpurias*; an non vero præſtat, paucas rationes proponere, eaſque ſolidas, & firmas, quam *omnigenas*, in quibus nullum plane robur eſt, & quæ cauſam bonam ſuſpectam potius reddunt, quam ut illi pondus aliquod addant; quæque præſertim ſi *ſpuriæ* ſint, adverſariis nova tela

contra

contra veritatem ſuppeditent? verum ita *Maſſuetus* videtur amplecti illud πολυθρήλλητον;

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Deinde veniam ita dabit *Proteſtantibus*, quorum nares paulo acutiores ſunt, quam ut omnibus promiſcue, quæ ab antiquis dicta ſunt, fidem adſcribant. Tertio ipſe hoc modo incautus ſtabilivit *viam Examinis*, quicquid contra eam *Nicolii*, *Peliſſonii*, aliique garrire viſi ſunt; nam ſi Antiqui quandoque a ſcopo aberrarunt, ſi ipſorum argumenta veritatem non demonſtrant, ſed eam ſæpenumero rationibus *infirmis* atque *ſpuriis* potius obſuſcant, recte utique faciunt Proteſtantes, imo ex ipſius rationis atque Chriſtianæ inſimul Religionis dictamine id facere tenentur, ut omnia ab Antiquis tradita examinent, eaque, quæ veritati conſona ſunt, adoptent, rejectis iis, quæ ab ea diſcedunt; aureum Apoſtoli monitum in eo imitantes: Probate omnia, &, quod bonum eſt, tenete. Sed de *Maſſueto* quidem hac vice ſatis; plura alio tempore, & propediem fortaſſe.

§. 29. Ex iis autem, quæ hactenus a me dicta ſunt, luculentiſſime patet, *veritati* in omnibus triumphum deberi. Hanc igitur ante oculos habere tenentur, qui libros utiliter legere, deque iis judicare volunt & poſſunt; ſive ergo *Hiſtoria* tractetur, ſive *dogma*, ſubinde ad hanc metam reſpiciendum. Ac in hiſtoricis quidem examinare debet ſedulus & prudens librorum Lector, an ea, quæ dicuntur, ipſis rerum eventibus reſpondeant? an auctor liber fuerit

 ab

ab affectibus, vel præjudiciis? an loci & temporis, officii denique & ſtatus, in quo vixit, conditio talis fuerit, ut veritatem libere aliis proponere potuerit? Habemus ejus exemplum recentiſſimum in Clariſſimo *Dupinio*, Viro ſane ſatis candido & docto, ſed qui in quam pluriinis rebus, iis maxime, quæ ad Hiſtoriam Seculi XVII. pertinent, longe meliora ac veritati magis conformia ſcribere & potuiſſet, & quod nullus dubito, voluiſſet, niſi rationes domeſticæ plures eum a libero veritatis teſtimonio prohibuiſſent. At bene tamen eſt, eum aliis oculos aperuiſſe, dum ſuos claudere coactus erat.

§. 30. In dogmaticis vero id ſollicite omnique partium ſtudio procul faceſſere juſſo examinandum, an aliqua doctrina puro Dei verbo, falli & fallere neſcio, ſit conformis? an quæ nobis credenda proponuntur, gloriæ Divinæ conveniant? an pietatem, quæ anima eſt veri Chriſtianiſmi, iſta promoveant? uno verbo, an omnia, quæ ab Auctore aliquo tanquam vera aſſeruntur, revera talia ſint, atque ſolidis idoneiſque rationibus ſuffulciantur? Atque in iis omnibus charitate, moderatione, atque manſuetudine opus eſt, quibus fit, ut corda hominum ad veritatem agnoſcendam præparentur, a rixis atque contentionibus avocentur, & fides denique non fictæ, ſed ſolidæ & poſt fata duraturæ ἀληθεία ἐν Ἰησȣ͂ Χριςῷ ſuperſtruatur. Religio vero nullis ſolidis innixa rationibus ſuperſtitio, & Traditio ſine veritate vetuſtas erroris eſt.

§. 31. Et tamen ſæpe vidimus, Viros cætera doctos

doctos ſub vano Religionis prætextu opiniones præconceptas tanto ſtudio fovere, ut citius clavam e manu Herculis, quam illas ex ipſorum cordibus extorquere poſſis. Ita fuit Vir eruditus & de re Eccleſiaſtica cæteroquin meritiſſimus, quem reverentiæ cauſa non nomino, qui diceret: "Ludovici Capelli ſententiam de no-"vitate punctorum VERIOREM quidem eſſe "opinione Buxtorfii, ſed hanc TUTIOREM; ad quæ verba recte Anonymus quidam, qui iſta recenſet, annotat; *quaſi poſſet eſſe quid tuti in mendacio, & imprudentiſſime ſe non gererent, qui faterentur, everſa aliqua opinione, quam parum certam eſſe agnoſcunt, Religionem ipſam everſum iri.* Sic porro *Eraſmi* ætate fuit imperitus quidam Cenſor, qui re non ſatis intellecta, totam Scripturam in diſcrimen adduci putaret, ſi *Eraſmus* variantem aliqnam lectionem Codicum Scripturæ ſacræ proponeret, eamque ſuis illuſtraret annotationibus. *Hic actum putat de fide ſacrorum voluminum, ſi varia lectio proferatur* &c. At vero quam plena præjudiciorum ſit hæc opinio, ibidem Vir magnus egregie oſtendit; inprimis autem hæc verba attendi merentur: *Age, vel illud mihi reſpondeat ſeverus iſte monitor: utrum optandum eſt Eccleſiæ Dei, ut ſacræ Scripturæ libros habeat quam emendatiſſimos; an non? Si fatetur optandum, reſpondeat, an fateatur quotidie varias mendas in eos invehi, vel inſcitia caſtigatorum, vel negligentia ſcribarum? Quod ſi non poteſt inficiari, cur non amplectitur hoc meum ſtudium, quod omnium maxime ad eam rem conducit,*

ſive

ſive ut emendentur depravata, ſive ne depraventur, quæ recta ſunt? Quandoquidem negari non poteſt, eſſe quædam in pleriſque noſtris, imo in omnibus ferme depravata codicibus. Hactenus *Eraſmus.* Vid. Epiſt. 375. pag. 386. Ed. Lugd. Bat.

§. 32. Nondum vero ea, quæ dicta ſunt, comparari merentur abſurditati plane ſingulari, qua nobis Veritatem deſcribit Vir cæteroquin ſuis haud defraudandus laudibus, *J. Gerſonius*, celebris quondam Cancellarius *Pariſienſis.* Is in operibus ſuis T. I. P. I. p. 23. varios ad veritatem conſtituendam gradus deſcribit, atque inter eos ſextus & ultimus ita habet: *Demum in ſexto gradu, qui quartus eſt modo dicto, collocandæ veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religioſam pietatem, quæ ſi magis inducuntur ad inflammandum affectum, quam ad inſtruendum intellectum, ubi* PIETAS DEVOTA MAGIS *aſpicitur*, QUAM VERITAS CERTA; *ubi hoc unum reprobatur, ſi adeſſet aſſertionis temeritas, priuſquam elucidaretur alio modo per Eccleſiam vel rationem certam ipſa veritas, aut ſi ſuperſtitionem; hoc eſt religionem ſuperfluam & vanam induceret. Unde, ſicut dicit Ariſto:* NIHIL REFERT, QUÆDAM FALSA PROBABILIORA ESSE VERIS, ITA NIHIL REFERT, QUÆDAM FALSA PIE CREDI, (& paulo poſt:) *ſicut ſtat quodlibet contradictoriorum eſſe probabile*, SIC DIVERSIS RESPECTIBUS UTRUMQUE CONTRADICTORIORUM CREDI POTEST CUM FIDEI PIETATE;

dum

dum tamen ſit animus ab aſſertione pertinaci alienus. Reſpicit autem iſte gradus LEGENDAS ET MIRACULA SANCTORUM, VITAS PATRUM, VISIONES DEVOTARUM PERSONARUM, RECITATIONES ET OPINIONES SACRORUM DOCTORUM, *quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, & legi permittit, non quod determinet talia de neceſſitate ſalutis eſſe credenda, ſed quia proficiunt ad commovendos affectus fidelium* (ad plebeculam decipiendam, & reditus Monachorum amplificandos) *& in ædificationibus ipſorum, dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum; quamvis autem neſciatur illud* CERTITUDINALITER *eſſe verum, quod oportet, nec, ut tale credendum proponitur, ita quod magis hic attenditur id, quam pia recogitatione fieri potuit, quam illud, quod factum eſt. Et hoc apud oratores celeberrimum reperitur, qui ex aliorum perſonis dicunt ea, quæ non perſonæ dixerunt, ſed quæ dicere potuerunt,* SICUT IN LEGENDA BEATÆ AGNETIS ET BEATI SEBASTIANI *& ſimilium continetur.* Vos, qui hæc legiſtis, quæſo,

- - - *Riſum teneatis amici!*

Unum hoc annoto, me vix ac ne vix quidem credere, iſta ſerio & ex animo ita prolata eſſe a *Gerſonio;* alia enim Viri Doctiſſimi ſcripta, in quibus longe meliorem viam inire viſus eſt, quam plurimi ſolent ex Pontificiis, & quæ doctrinam Proteſtantium in multis egregie confirmant, atque illuſtrant, ſatis oſtendunt, ipſum non adeo obeſæ naris hominem fuiſſe, ut iſta ſomnia vere credere potuerit. Sed eo magis

dolenda fuit ipſius conditio, quod Eccleſiæ Romanæ, cui addictus erat, ſuperſtitioni confingendis variis veritatis *gradibus* ſpeciem dare non erubuit; quod æque ineptum ac abſurdum eſt, ac ſi quis varios *gradus* in conſtituenda *rectitudine lineæ* admittere vellet. Veritas ſimplex eſt, & ipſa lucet per ſe, nec iſtis indiget frivolis hominum commentis, ex quibus veritatis abortus naſcitur.

§. 33. Cæterum exinde colligitur, quanti ſit, animum a ſtudio partium atque a præjudiciis liberum habere, nec illud ſtatim verum credere, quod tale eſſe optes, ſed quod ita ſe habere, ex ſolidis atque idoneis rationibus cognoveris. Unde ad veritatem examinandam plurimum conducit, ut, qui librum aliquem legendum ſibi ſumunt, cum *indifferentia* (veniam date voci ſcholaſticæ) ad rem ponderandam accedant, non illa ſpuria & vitioſa, qua quis omnes pro lubitu ſententias adoptat, modo aliquod lucrum vel commodum exinde percipere poſſit; quod quidem hominum genus hodie ſatis frequens eſt, ubi veritas multis in luſum & jocum abiit; plurimique etiam tam parvi eam curant, ut feroci contemtu eam faſtidire videantur: *Quid eſt veritas?* inquiunt illi cum Pilato. De tali igitur indifferentia hic non loquor, quam cane pejus & angue deteſtandam cenſeo; verum de illa, qua quis nulla auctoritate hominum, nullo vano Religionis zelo, nullo denique affectu præpeditus, veritatem nude intuetur, eamque ſuis ponderibus metitur; ſcilicet amicus *Plato*, amicus *Ariſtoteles*, ſed magis amica veritas!

Atque

Atque hæc quidem quemadmodum aliis ingenue ſuadeo, ita mihi ipſi ſtrenue imitanda propono; qui, ſi ullibi ab iſta regula deflectere viſus ſum, id certe, quod in aliis reprehendo, in me ipſo nec probo nec excuſo; quin potius totis viribus eo annitor, ut mentem ab omni præjudiciorum morbo liberare, ac veritatem, cum charitate conjunctam, ubique ſectari & conſequi videar. Quod quidem non unius diei negotium eſt. Sed præſtat aliquando, quam nunquam.

§. 34. Quarto in libris quandoque & ipſorum fata, ut ita loquar, noſſe atque conſiderare juvat, ut ſupra indicavi. Habent quippe, ut ait Poeta,

- - - - *Sua fata libelli.*

Prout Scientiæ ſuas experiuntur viciſſitudines, atque earum pretium pro diverſitate temporum ac diverſis hominum * inclinationibus variat ſæpiſſime, ita libri quoque in una vel altera eruditionis parte conſcripti eandem ſor-

* Habet & ipſa humana anima ſuas quaſi periodos, ac diverſas viciſſitudines, quibus non modo ab uno cognitionis gradu ad alium progreditur, ſed ipſa quoque in ſuis operationibus, inclinationibus atque viribus variare videtur; inde eſt, quod quæ juvenes fecimus, ea improbemus ſenes, & quæ antea in vigore ætatis præclare efficere viſa eſt mens humana, ad ea languere incipiat, cum ad provectiores annos pervenerit; uti ſupra allato celeberrimi *Huetii* exemplo id illuſtratum fuit. Exinde vero quam arcta ſit animæ cum corpore connexio, clare eluceſcit.

tem ſubeunt; inde fit, ut quæ olim magni fuerant habita, iis hodie exiguum ſtatuatur pretium; & quæ nunc laudantur, forſan alio tempore parvi æſtimabuntur, hinc mihi in ſcientias atque libros cadere videtur illud Salomonis: Una generatio præterit, altera ſuccedit. Magna hic dicendorum ſe materia offerret, ſi, quæ de literarum librorumque fatis nobis ſuppeditat hiſtoria, hic enarrare vellem; at cum intra brevitatis cancellos tenere me debeam, ſufficiat mihi unius *Ariſtotelis* exemplum, cujus ſcripta quam variam fortunam olim in Academia Pariſienſi fuerint experta, egregie nos docuit laudatus ſupra *Launoius* in libro * de hac materia conſcripto, in cujus capite ultimo hæc notatu digna verba leguntur: *Si quis extremam Ariſtotelis fortunam cum prima contexat, id inveniet, quo rerum humanarum inconſtantiam vehementer admiretur. In prima Ariſtotelis lectio interdicitur: in extrema commendatur. In prima Ariſtotelis opera comburuntur: in extrema ab omni dedecore vindicantur. In utraque fortuna comparent Theologi, quorum alii primam, alii extremam adornarunt. Deinde rerum converſio vix poteſt eſſe major, quam quæ hic apparet. Qui Ariſtotelis libri legebantur olim, nunc non leguntur, vel, ſi leguntur, deguſtantur magis, quam leguntur. Qui vero non legebantur olim, nunc omnino le-*

* Titulus libri eſt de varia *Ariſtotelis* fortuna in Acad. Pariſienſi, extraneis hinc inde adornata præſidiis, Hagæ Comit. An. 1656.

guntur,

guntur, mirantibus Scholis, plaudentibus Academiis. Res eſt facti, quæ ſua expoſitione ſplendeſcit. Hiſtorice loquor, nec meum eſt tantas inter ſe componere lites. Hodie non magni æſtimatur Pariſiis Philoſophia Ariſtotelica, atque in pluribus etiam Collegiis ea publice doceri deſiit. Quod quidem non male factum; quippe delicatior eſt præſentis ſeculi guſtus, quam ut, melioribus jam inventis, antiquis iſtis quiſquiliis delectetur. Sed & hic nihil ex omni parte beatum, & quæ fata in futurum maneant literas, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται.

§. 35. Denique de Manuſcriptis aliquid dicendum eſt. Horum notitia quemadmodum nobiliſſima hiſtoriæ literariæ pars eſt, ita eos minime fugere debet, qui Bibliothecas quascunque, atque adeo Pariſienſes etiam, cum fructu adire cupiunt.

§. 36. Quantus vero ſit manuſcriptorum uſus, facile exinde patet, quod, qui in editionibus veterum ſive Sacrorum ſive Profanorum Scriptorum occupantur, iſtos Codices conſultare neceſſario tenentur, ſi feliciter opera ſua perfungi velint; non, quod manuſcriptos codices ad hoc negotium ſufficere putarem; multa enim adhuc alia requiri, fateor: verum quia in his magnum pretium collocatum eſt, ut eorum uſus, ſi cum ceteris ſubſidiis conjungatur, egregie juvare poſſit eos, qui in parandis Veterum editionibus atque emendationibus verſantur. Cum enim ii, quos hodie habemus, libri omnes ex manuſcriptis Codicibus deſcripti ſint, patet, ſubinde ad eos adhuc recurrendum,

quoties lectionem variantem conciliare, dubiam reſolvere, mancam ſupplere, corruptam reſtituere, atque genuinum ſenſum ex dictis eruere oportet; idque exinde clarius eluceſcit, quia iſti, qui ſub initium Typographiæ primas nobis editiones dedere, infinitos hinc inde errores reliquere, tum quia ſufficientia ipſis ſubſidia, & inter hæc quoque idonei Codices manuſcripti quandoque deficiebant, tum quia nec arte Critica pro iſtius temporis infelicitate ſatis inſtructi erant. Citetur vel ſolum hujus rei exemplum, *Eraſmus*, cujus licet illuſtria in rem literariam fuerint merita, ut jure merito liberalium artium reſtaurator dici poſſit; tamen conſtat, quantum ob eaſdem, quas allegavi rationes, adhuc errorum & vitiorum remanſerit in iis, quas nobis reliquit, Patrum Eccleſiaſticorum editionibus; quod & illæ correctiones oſtendunt, quas Viri doctiſſimi in hac recentori ætate illius defectibus atque vitiis adhibuere. Unde prædicanda eſt noſtrorum temporum felicitas, in qua jam omnia pene antiquitatis monumenta excuſſa, eademque ſuo nitori reſtituta ſunt; gratiæ tamen & majoribus noſtris debentur, qui ad hanc pleniorem eruditionis atque doctrinæ lucem faculam poſteris *

* Huc pertinet, quod alibi dicit *Ariſtoteles: Si Timotheus non fuiſſet, non habuiſſemus tam dulcem Muſicam; ſed ſi Phrynis non extitiſſet, non habuiſſemus Timotheum.* Ergo ſi antiqui non poſuiſſent literarum principia, quomodo in his progreſſus tam felices facere potuiſſent poſteri; illis ergo gloria debetur, quod gla-

præ-

præbuere; quam laudem inprimis ſibi vendicat laudatiſſimus *Eraſmus*, qui ſi noſtra attigiſſet tempora, ipſum non modo æque clarum ac noſtros, ſed his longe clariorem futurum exiſtimo.

§. 37. Manuſcriptis Codicibus auctoritatem conciliat *vetuſtas*; nam in rebus maxime hiſtoricis auctores coætanei ceteris præferuntur, nec enim hic de jure, ſed de facto quæſtio eſt. Quæritur, quis ſenſus veterum fuerit in exarandis ipſorum ſcriptis; quem proinde ex antiquioribus etiam Codicibus, maxime ſi a perito Librario fuerint conſcripti, tutius plerumque,

ciem fregerint: horum vero eſt, quotidie ulterius progredi in ſcientiarum curſu, & nova eaque meliora inveniendo, perfectiora reddere ea, quæ antiqui incepta reliquerant. Ita, ni fallor, de Antiquitate ſentiendum eſt; atque idem confirmatur illuſtri teſtimonio *Lactantii*, quod omnino huc adſcribi meretur. *Nec quia nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt, quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Illibabilis eſt tanquam lux & claritas Solis, quia ut Sol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani. Quare cum ſapere,* i. e. *veritatem quærere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipſis ſumamus exemplum, ut, quomodo illi qui falſa invenerant, poſteris tradiderunt, ſic nos, qui verum invenimus, poſteris meliora tradamus?*

quam ex recentioribus, haurire licet; quod tamen cum grano ſalis accipiendum. Sunt autem vetuſtatis inquirendæ ac dignoſcendæ varia ſigna; ego pro inſtituti ratione extantiora modo hic indicabo. Deſumuntur ea ex *literis* atque *characteribus*, ex *ſpiritibus* atque *accentibus*, item ex *materia*, in qua Codex aliquis eſt exaratus; ex *interpunctionibus* atque *abbreviationum* additionibus earumque forma; denique & ex *temporis* nota, quæ quandoque adjecta eſt. Ita quod literas atque characteres attinet, *unciales quadræ & rotundæ*, nemine dubitante, ſummæ vetuſtatis argumentum præbent, maxime *ſi accentibus & ſpiritibus deſtituantur*; & *formæ inſcriptionum Veterum* proxime accedant. Exempla iſtiuſmodi Codicum jam ſupra in prima parte a me allata ſunt, ubi & contra *Montfauconium* ex ipſo *Montfauconio* oſtendi, notam diſtinguendorum Codicum, qui ante ſeptimum ſeculum exarati ſunt, omnino dari. Notatum quoque fuit exemplo Codicis *San-Germanenſis*, jam exeunte *ſeculo ſeptimo* vel *ineunte octavo* accentus & ſpiritus introductos eſſe, licet illi rariores ab initio occurrant. *Interpunctiones* quoque & inprimis *abbreviationes* in vetuſtiſſimis codicibus raro videntur, & ſi quæ ibi ſunt, plane alia eſt eorum figura, quam in recentioribus; hæ vero *originem* ſuam maxime debent *Tachygraphis*, qui, ut celerius expedirent ſcriptionem, pluribus abbreviationibus uſi ſunt, quæ & ipſos Librarios viciſſim, & poſtea quoque Viros doctos in exhibendis veterum editionibus ſæpe in errorem

rem

rem * induxere. Attendi quoque meretur plurimarum *literarum colligatio*, ab iiſdem introducta, & a Vetuſtiſſimis Codicibus aliena, in quibus literæ omnes plane ad Inſcriptionum formam inter ſe ſeparatæ ſunt. Notant tamen eruditi, jam nono vel decimo ſeculo morem plures connectendi literas invaluiſſe. Quod attinet *materiam*, in qua Codex aliquis manuſcriptus fuit exaratus, certum eſt, Codices Vetuſtiores in Charta *pergaminea vel membranacea* exhiberi, contra ei, qui in *bombycina* ſiſtuntur, pro recentioribus reputantur; quanquam jam ſeculo decimo, licet non adeo frequentem iſtius chartæ uſum obtinuiſſe, probat *Montfauconius* ex codice Regio n. 2436. qui continet catenam in Cantica canticorum, ſeculique deci-

* Sæpius in hunc ſcopulum illidere viſus eſt *Nannius* in editione *Athanaſii*, uti probe id obſervavit, atque exemplis illuſtravit Clariſſimus *Montfauconius* in Palæogr. p. 343. & in Præf. Ed. Athanaſ. neque ab iſto vitio plane immunes fuere *Laurentius Valla*, & *Henricus Stephanus*, qui, obſervante eodem *Montfauconio*, locum *Herodoti* *θηρία ἀκατάψχυςα* legerunt *ἀκατάψευςα*, qui quidem ſatis lepidus error eſt; in illum vero inciderunt, quia literarum abbreviationes non ſatis attenderunt. Ceterum ſi quando abbreviationes quibuſdam lapſus cauſa fuere, ab eodem illæ alios cuſtodierunt: ita *Pompei* ætate diſputatum erat, num *tertium* magis an *tertio* *Conſul* ſcribere oporteret; quæſtione ad *Ciceronem* delata, hoc ille conſilium dedit, ut ſcriberent *tert.* ita enim utrumque intelligi poſſe. Vide Commentarium eruditiſſimæ Fœminæ, *Daceriæ*, in *Terentium* Tom. III. pag. 210.

mi eſſe putatur. Sed & de *membranacea* charta illud notandum, eam per ſe non ſufficere ad vetuſtatem alicujus codicis indagandam; quippe & diu poſt ſeculum octavum ea adhuc in uſu fuit. Hoc verum eſt, Codices vetuſtiſſimos ſubinde membranaceos eſſe; ſed non ſequitur, membranaceus eſt Codex, ergo propterea vetuſtiſſimus. Si tempus ipſum adjectum ſit, nota jam certa ætatis habetur. Id vero contingit variis modis; vel ſi factum aliquod recenſeatur, quod determinati cujuſdam temporis ætatem fert; vel ſi mentio fiat Imperatoris, ſub cujus Regno codex aliquis fuit exaratus, vel ſi ipſe annus ſit adjectus. Quæ omnia hic delibaſſe ſufficiat; plura qui deſiderant, adeant *Mabillonium* in Arte diplomatica, & *Montfauconii* Palæographiam. Ille de manuſcriptis Latinis, hic de Græcis agit; ille tantum obiter, & quaſi aliud agendo, quippe cujus inſtitutum erat diplomata explicare; hic vero ex inſtituto atque multa cum ſoliditate; unde & in hoc quidem ſcientiarum genere *Monfauconii* opera præferri meretur *Mabillonii* libro; licet idem quoque pro inſtituto Viri doctiſſimi, quod ibi tractare aggreſſus eſt, ſuo pretio minime ſit defraudandus.

Cap. III.

De Arte Critica.

§. 1.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, jam aliquo modo conſtare poteſt, quanta ſit artis Criti-

cæ neceſſitas, quanta itidem utilitas; at poſcit tamen res ipſa, ut huic materiæ ulterior abs me navetur opera; proinde de indole & natura atque præſtantia artis Criticæ, non quidem pro argumenti dignitate, ſed pro inſtituti modo ratione breviter diſquiram; ante omnia vero, ut pateat, quam connexionem habeat hæc præſtantiſſima ars cum ipſa humanæ mentis excellentia, de ejus fundamento aliquid erit dicendum.

§. 2. Fundamentum omnium ſcientiarum in ipſo homine atque præſtantia naturæ ejus quæri debet. Quippe illæ omnes a Deo ideo homini propoſitæ ſunt, ut præſtantior ipſius pars, anima rationalis, iis perficiatur. Exinde hæc regula generalis fluit: *illæ ſcientiæ, quæ maxime ad perficiendam hominis naturam faciunt, præ omnibus quoque tractari atque excoli merentur; illæ vero, quæ nihil ad hunc finem contribuunt, rejiciendæ ſunt atque nauci habendæ.* Jam vero duo inprimis ſunt, quæ hominis excellentiam maxime conſtituunt, eumque a brutis diſtinguunt: SERMO & RATIO; utrumque arctiſſimo inter ſe fœdere connectitur; & alterum alterius ope indiget, eaque perficitur: *Sermone* opus eſt, ut cogitata exprimere, *Ratione* vero, ut ea, quæ dicuntur, intelligere ac de ſenſu, & uſu ſermonis recte judicare poſſimus. Ex quo & ſocialitatis neceſſitas & præſtantia a Moraliſtis deducitur. Ad hos duos fontes omnes, quæcunque ullibi dantur, redeunt diſciplinæ ac ſcientiæ humanæ; quippe quæ in eo verſantur, ut recte cogitare, & cogi-

tata aliorum intelligere, noſtraque viciſſim vel ore vel ſcripto ipſis communicare poſſimus. Primum nobis præſtant omnes *diſciplinæ reales philoſophicæ;* de quibus hic non eſt agendi locus: circa poſterius vero ars interpretandi & loquendi occupatur; illud *Critices*, hoc *Grammatices* atque *Rhetorices* potiſſimum munus eſt, dico potiſſimum; nam & hæ diſciplinæ mutuam ſibi opem præſtant, atque una alterius commercio ſublevatur.

§. 3. *Critica itaque eſt ars dextre interpretandi ſcripta Veterum, tam Sacrorum quam Profanorum, tam ſoluto quam ligato ſermone utentium.* Verſatur Critica non modo circa Auctores profanos, ſed circa ſacros etiam, ac utriuſque Teſtamenti Codicem divinum; nam licet is in rebus ad ſalutem neceſſariis clarus ſit & perſpicuus, ut a quovis etiam plebeji ordinis homine poſſit intelligi; tamen quod plurimas variantes lectiones, circumſtantias item Hiſtoricas, vim & indolem verborum, ex genio linguæ ſanctæ hauriendam, alluſiones ad certa quædam facta, vel conſuetudines, & ritus populorum, difficultates locorum atque temporum, aliaque his conſimilia attinet, certum eſt, hic ſine artis criticæ adminiculo nihil ſolidi præſtari poſſe. Præterea dictum eſt in definitione, auctores non modo ſoluta ſed etiam ligata oratione utentes Criticæ objectum conſtituere; ſecus ac nonnulli ex antiquis Græcis ſentiebant, qui, affirmante Euſtathio in *Homerum* ad Iliad. β'. Criticos appellabant τὲς κατὰ τὴν γραμματικὴν παράδοσιν εἰδότας κρίνειν τὰ ποιή-

ποιήματα. Verum non ad Poeticam modo ſed ad Proſam quoque orationem referendam eſſe artem criticam, res ipſa docet; quippe ſine hujus ope in neutro ſtudio ſolidos progreſſus facere licet. *

§. 4. *Finis Criticæ eſt dextra Scriptorum Veterum dijudicatio.* Hæc non modo reſpicit ſenſum, ſed reliquas cujuſque ſcripti circumſtantias, quæ in diſquiſitionem venire poſſunt. Quod ſenſum attinet, docet ars critica genuinum eruere, mancum ſupplere, lectionem variam conciliare, corruptam corrigere, ſuperfluam præcidere, deperditam reſtituere. Dico ante omnia, criticam in eruendo genuino ſenſu verſari; quod munus licet ei cum aliis quibusdam diſciplinis commune ſit, tamen longe amplius id pertractat Critica. Nam Grammatica ex. gr. ei quoque regulas ſuppeditat, aſt eæ perangustis admodum cancellis continentur; neque ad rem conficiendam ſufficiunt: quippe Grammatica ſubſiſtit in docendo communi receptoque vocum ſenſu, & conſtructione earum naturali; at hoc nondum ſufficere ad ſententiam veterum tot difficultatibus ſæpenumero circumſeptam eruendam, per ſe patet; nam ſæpius aliqua dictio alludit ad conſuetudinem peculiarem cujuſdam gentis; quandoque ea ſupponit factum aliquod ſive verum, ſive fabuloſum; ſæpius etiam circumſtantiæ locorum, temporum, perſonarum expendendæ ſunt; & ſæpiſſime ex indole linguæ, & genio ſcribentis petenda in-

* Conf. cum his *Cl. Clerici* Artem Criticam p. 1.

terpretatio; ad quæ omnia aliaque iſtiuſmodi non niſi ſola Critica progreditur. Deinde ejus beneficio quoque lectionem mancam atque mutilam ſupplere docemur. Factum eſt ſæpenumero, ut ſcripta veterum vel ex ſtudio partium, vel ex malitia eorum, qui Codices in manu verſarunt, fuerint truncata. Norunt eruditi, quam malam fidem in his omnibus præſtiterint Librarii, & exempla Codicum ſupra allegatorum id abunde confirmant; ſed quod de ſtudio partium dico, illud inprimis attendi meretur; nam ex iſto peſſimo fonte emanavit prava Pontificiorum conſuetudo, quod ſcripta plurima, ſi quando ipſis contraria viſa ſunt, vel ſuppreſſerint, vel mutilarint: ita de *Ferrario* queritur ipſe Religionis Socius HUETIUS, quod in reddendo *Origene* plurima loca truncarit, ſi quando Pater iſte a recta doctrinæ via diſcedere viſus eſt; * plura alia iſtiuſmodi

* En ipſa *Ferrarii* verba ex prologo verſionis Origenianæ. ‘Scito præterea, me nihil inveniſſe in hoc li‘bro, quod videtur decretis ſanctæ matris Eccleſiæ ad‘verſari; nam ſi inveniſſem AUT LIBRUM NON VER‘TISSEM, aut locum ſignaſſem ſuſpectum. En Tibi malam fidem *Ferrarii*, in quo plurimos ſuæ Eccleſiæ Socios imitatur, qui ſi traditionem quandoque erroneam, vel ab illorum ſententia alienam inveniunt, loca iſta vel mutilant, vel alto ſilentio prætereunt, & quandoque pervertunt plane; illud vero hîc maxime attendendum, quod *Ferrarius* ſuis promiſſis non ſteterit, nam plurimis exemplis probat *Huetius*, eum in vertendo *Origene* peſſima fide uſum, multa ejus loca mutilando, nonnulla etiam ſupprimendo. Cæterum conferri hic merentur, quæ p. 91. a me dicta ſunt.

exem-

exempla allegari poſſent, ſi opus foret. In his ergo caſibus rurſus opus eſt arte critica, ut ſuppleatur defectibus, quod fit ex collatione aliorum Codicum, notitia ſententiarum alicujus auctoris, ex connexione antecedentium atque conſequentium, aliiſque circumſtantiis, quæ oſtendunt, ea, quæ ſupprimuntur, eſſe genuina, atque ad totius Codicis integritatem pertinere. Sunt porro multæ in ſcriptis veterum variantes lectiones, & proinde etiam plurima emendandi occaſio; quod non modo de profanis, ſed de Sacris etiam differentibus inter ſe Scripturæ Codicibus habendum; niſi quis per ſummam abſurditatem ſupponere velit, librarios, qui iſtos Codices exararunt, homines plerumque imperitiſſimos & quandoque etiam negligentiſſimos ab omni errore fuiſſe immunes; quo ipſo in eandem cum Apoſtolis claſſem conſtituentur, quod nemo ſanus dixerit. Hic igitur Critica opus eſt, qua diverſæ lectiones conciliëntur, corruptæ corrigantur, & genuinus ſenſus, quoad ejus fieri poteſt, reſtituatur. Collocarunt jam in ea re ſuam operam Viri doctiſſimi atque celeberrimi; quo pertinent *Millius* in N. Teſt. ab ipſo edito, quod poſtea *Roterodami* emendatius prodiit Auctore *Kuſtero*, An. 1710. *Præſtantisſimus* Vir, *Johannes Clericus* in Bibl. Selecta T. XVI. item Doctiſſimus *l' Enfant*, qui idem argumentum duabus diſſertationibus illuſtravit, quas vide apud laudatum *Clericum* in B. S. T. XVI. & XVII. quibus adde ſupra citati celeberrimi Cancellarii *Tubingenſis*, *Chriſtophori Matthæi Pfaffii*, diſſertationem

de

de variantibus N. T. lectionibus, quæ prodiit *Amſtel.* Anno 1709. denique jam indicavi p. 31. huic argumento propediem novam eamque præclaram lucem fœneraturum, Virum Κριτικώτατον D. *Richardum Bentleium* in ſuis in N. Teſt. Commentationibus, quarum illuſtre ſpecimen haud ita pridem publico obtulit, ſpesque eſt, fore, ut erudito Viri celeberrimi labore brevi potiamur.

§. 5. Præterea quoque ſuperflua lectio quandoque eſt præcidenda. Ita diſputant de celebri illo teſtimonio *Joſephi de Chriſto*, num ſit genuinum, an in textum mala fide intruſum? Plurimi ex ſagaciſſimis * Criticis illud pro ſuperfluo habuerunt, atque ex eo adimendum cenſuere; maxime quia contextus verborum non ſuadet, ut illud pro genuino habeatur; ſed

* Potiores ex iis ſunt *David Blondellus*, & *Tanaquillus Faber*; quorum ſententiæ ſe oppoſuere *Gulielmus Spencerus* S. T. P. in annotationibus Origenianis, *Henricus Valeſius* in Editione *Euſebiana*; *Franciſcus Regius*, Juriſconſultus Andegavenſis; *Fridericus Spanhemius* in Epitome Iſagogica ad Hiſtoriam Eccleſ. N. T. *Natalis Alexander* in Hiſt. Eccl. V. T. *Iſaacus Voſſius* in Chronologia Sacra. Sunt, qui media via incedunt, quique hoc quidem teſtimonium a *Joſepho* profectum, at quædam tamen in eo interpolata contendunt. Hoc in numero ſunt *Richardus Montacutius*, quondam *Norwicenſis Epiſcopus* in notis ad demonſtr. Evang. Euſeb. *Joannes Henricus Urſinus*, *Steph. Le Moyne* in notis ad *Hippolyti* librum. Atque hæc ad notitiam literariam ſufficiant. De re ipſa quid ſit habendum, judicet, qui volet.

hanc

hanc litem aliis dirimendam relinquo. Porro & Criticis tanquam maximum beneficium debetur, quod illorum arte & ſtudio ſcripta deperdita fuerint luci reſtituta. Notum eſt, quam feliciter in iſto pelago navigarint *Labbei*, *Sirmondi*, *Baluzii*, *Mabillonii*, *Montfauconii*, qui nunquam tam præclara antiquitatis monumenta nobis reſtituiſſent, niſi Artis Criticæ exactam notitiam acquiſiviſſent.

§. 6. Denique illud etiam præſtantiſſimum Criticæ munus eſt, ut certas atque idoneas ſuppeditet regulas, quibus ſcripta ſpuria a genuinis diſtingui, atque ea, quæ dubia ſunt, certis ſuis auctoribus adjudicari queant. Cujus mox in ſequenti capite ſpecimen exhibebo in libro præſtantiſſimo *Lactantii* de mortibus Perſecutorum, quem ſupra ex Codice *Colbertino* recenſui, quemque verum & genuinum *Lactantii* fœtum eſſe, rationibus me oſtenſurum promiſi.

§. 7. Ex his, quæ hactenus a me dicta ſunt, patet jam, in quonam idea Artis Criticæ proprie conſiſtat, nempe ut ſcripta veterum, tam quoad eorum ſenſum, quam quoad alias circumſtantias externas recte dijudicare & dextre interpretari ſciamus; ſcilicet ut ſenſum eruere, mancum ſupplere, corruptum corrigere, variantem conciliare, abundantem præcidere, item ut ſcripta perdita reſtituere, ſpuria a genuinis diſtinguere, horumque auctorem & ætatem, quoad ejus fieri poteſt, indagare doceamur. Exinde patet primo, hanc artem non eſſe adeo facilem, ut quidam ſibi perſuadent; quippe præter felicem indolem & ingenium in conjecturis

ſagax,

ſagax, vaſta lectio, multarum ſcientiarum & linguarum cognitio, & magnus quoque ſubſidiorum apparatus requiruntur ; unde quod alibi de *perfecto Oratore* dicit *Cicero*, ſe facilius poſſe dicere, quid ad eum requiratur, quam quis ille ſit; idem de perfecto *Critico* evenit; quid ad eum inſtituendum requiratur, novimus, ſed difficulter talis invenitur; pauci enim ſunt, quos æquus amavit *Jupiter !* aſt eo pulchrius eſt, digito monſtrari & dicier, HIC EST! Hæc laus tamen ſine dubio tribuenda erit Viris doctiſſimis, quorum jam ſæpe a me facta mentio eſt; ut ex Gallis : *Labbeis*, *Petaviis*, *Sirmondis*, *Baluziis*, *Mabilloniis*, *Montfauconiis*, quibus omnino addere juvat ex *Anglis*, *Beveregios*, *Uſſerios*, *Dodwellos*, *Potteros*, *Clarkios*, *Millios*, *Bentlejos*, *Daviſios*, ex *Batavis*, *Scaligeros*, *Voſſios*, *Heinſios*, *Grævios*, *Gronovios*, *Burmannos* ; ex *Germanis*, *Schurzfleiſchios*, *Ittigios*, *Olearios*, *Pfaffios*, *Fabricios*, *Wolfios*, &c. qui omnes jam editis eruditiſſimis ſpeciminibus inſignem hujus artis peritiam oſtenderunt. Maximæ etiam gratiæ debentur *Clariſſimo Doctiſſimoque Viro Joanni Clerico*, qui hanc artem in formam Syſtematis redegit, atque idonea & clara præcepta ad eruditam Criticam omnemque ſolidam doctrinam ſuppeditavit. Hæc ergo exempla oſtendunt, ſi vel maxime difficile ſit, non tamen impoſſibile eſſe, ad ſolidam Criticæ notitiam pervenire ; unde ea quoque omnibus, qui adhuc ad iſtam metam contendunt, incitamento eſſe debent, ne gradum otioſius ſiſtant, antequam eam attigerint. Cæterum

Sit

Sit aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra. Secundo ex dictis patet, eos plane non habere ſufficientem Criticæ ideam, qui eam in eo conſiſtere putant, ut quis ſit bonus & exactus Grammaticus. Hoc aliquid eſt, ſed non omne; plura enim adhuc requiruntur; Critica ſupponit Grammaticam, & ab eadem quoque præcepta mutuatur; ſed non in ea conſiſtit. Unde, ſi quis dicere vellet, bonum Grammaticum eſſe perfectum Criticum, is idem mihi ſtatuere videretur, ac ſi quis diceret, illum eſſe perfectum Philoſophum; qui eſt bonus Logicus. Sed tertio magis adhuc falluntur, qui exiſtimant, Criticam & Logicam eſſe eandem ſcientiam. Novi Viros, cætera doctos, qui ita ſenſere, ſed his vox Κριτικὴ imponere videtur; facile autem iis mederi licet, modo attendere velint, Criticam non judicare de rebus ipſis, ſed de verbis eorumque ſenſu; non quæritur hic, an id, quod legimus, verum ſit, ſed an hic ſit ſenſus dictorum, quæ ante oculos habemus.

§. 8. Quarto ex iis, quæ a me dicta ſunt, patet, cum ſcripta veterum tum ſacrorum tum profanorum ad Criticæ leges exigenda ſint, opus eſſe utique, ut, qui eorum digna lectione perfungi, atque præſtantes doctrinæ fructus exinde percipere volunt, hac præſtantiſſima ſcientia imbuti ſint; qua qui deſtituuntur, nihil ſolidi de iis judicare poterunt; quin etiam in mille locis falſum pro vero arripientes, imponi ſibi patientur. Hoc de ipſis Eccleſiæ Patribus ingenue fatetur *Maſſuetus*; cum enim rationem reddere vellet, cur illi traditiones falſas pro veris

veris quandoque acceperint, hanc proponit Diſſ. III. in Iren. Art. 1. §. 9. *Satis eſt nobis, ſi vanæ credulitatis argui non poſſit Irenæus; quod ut arbitror, nemo dicet, qui ſacræ antiquitatis reverentia* * *tangitur; utpote qui ſententiam amplexus fuerit, quam ſuo tempore, re nondum ad* CRITICÆ LEGES *exacta, Chriſtiani omnes tuebantur.* Exinde ergo conſequitur, *Traditionem Patrum ad leges Criticæ* examinare licere. Secundo ipſos Patres a ſcopo ſæpius aberraſſe, quia illas leges non obſervarunt. Quo ipſo cadunt omnia, quæ de traditionis auctoritate jactitat Eccleſia Romana. Quibus & illud addendum, quod, qui ejus communionem ſequuntur, inextricabili Labyrintho hic ſeſe involvant. Nam ſi nulli privato licet veritatem examinare; ſi eum credere oportet, Eccleſiam Romanam, cui addictus eſt, in explicando Scripturæ ac traditionis ſenſu errare non poſſe, & ab ea, tanquam ore veritatis, hauriendum, quicquid de Religione ſentire oporteat; ita, ut quod illa pronunciet, neceſſario

* Atqui *Euſebius* tamen dicit, plurimos ex primævis Patribus, ex *Papia*, mediocris ingenii homine, & qui ea, quæ in Scriptura dicta erant, non ſatis intellexerat, doctrinam de millenario, quaſi Apoſtolicam Traditionem hauſiſſe. Vid. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. III. c. 39. Vellem ergo ſcire, an hoc ex ſagaci potius ingenii perſpicacia, quam vana animi credulitate ſit profectum; & an reverentia erga Antiquitatem in eo conſiſtat, ut quis cum ſana ratione inſanire debeat? Non ita *Euſebius*, neque alii, quibus eſt ſanum ſynciput.

pro

pro vero ſit habendum, licet illud omnibus rationum momentis, quas adhibita ſumma induſtria invenire quis potuit, manifeſto contradicat; clare exinde conſequitur, primo in Eccleſia Romana nullum veritatis indagandæ ſtudio locum relictum, quam quippe ex præjudicio ſupponere tenentur, qui ei addicti ſunt, antequam examinando talem invenerint: ſecundo inanem plane, frivolum, ac ridiculum fuiſſe iſtorum omnium ex Pontificiis conatum, qui ſtudio Artis Criticæ navarunt operam, atque regulas invenerunt, ad quas Scripturæ atque traditionis ſenſum atque auctoritatem exigerent. Atque hoc quidem *Richardo Simonio*, celebri inter Pontificios Critico, a Religionis Sociis contra omnia ejus in hac arte edita ſcripta objectum memini; qui, ſtante Religionis, quam profitebatur, præjudicio (nec enim alii rei Eccleſiæ Romanæ fides ſuperſtructa eſt) quid ad iſtam objectionem reſpondere potuerit, non video. Verum hæc tantum *de Religione*, & quidem ex propriis Pontificiorum hypotheſibus, a me dicta ſunto.

CAP. IV.

§. I.

Diſquiſitio Critica de Codice Colbertino *de Mortibus Perſecutorum*, Lucio Cœcilio *inſcripto*, *quem genuinum* Firmiani Lactantii *fœtum eſſe*, *contra* Cl.

M Nour-

Nourrium, *Monachum Benedictinum* Pariſienſem, *oſtenditur.*

IN ſuperiori diſſertationis meæ parte, cum de Bibliotheca *Colbertina* longe præſtantiſſima agerem, Codicis illius eximii, quique unicus eſt in Orbe literato, de Mortibus Perſecutorum, ulterius examen ad præſentem de arte Critica tractationem ex induſtria remiſi. Nempe cum hic ſit unus ex præcipuis nobiliſſimi hujus ſtudii fructibus, ut illius beneficio opera genuina a ſpuriis diſtingui, eaque ſuis certis Auctoribus, quoad ejus fieri poteſt, vindicari queant; operam neutiquam pœnitendam, neque eam a præſenti inſtituto alienam, me ſuſcepturum credidi, ſi præſtantiſſimum illud Antiquitatis monumentum genuino ſuo Auctori, *Lactantio*, ſuperatis, quæ hic a Clariſſimo atque Doctiſſimo Viro, *Nicolao Nourrio*, Monacho Benedictino præſtantiſſimo, in medium prolatæ ſunt, difficultatibus, pro qualicunque virium modulo adſerere conarer.

§. 2. Et vero longe jucundiſſimum mihi eſt hac data occaſione cum Viro eruditiſſimo in amicum quoddam & placidum certamen literarium deſcendere; videor enim mihi ita denuo frui humaniſſima ejus conſuetudine, quæ mihi totis illis novem menſibus, cum *Pariſiis* agerem, tam cara fuit atque exoptata, ut abſens quoque ejus gratiam ſubinde memoria colam. Salva igitur amicitiæ lege Viri Clariſſimi ſententiam examinabo, & quid in ea ſit

ſolidi,

ſolidi, quid minus, ea, qua fieri poteſt, brevitate exponam.

§. 3. Antequam vero ipſius argumenta refutare inſtituam, hæc mihi præmonenda videntur. Primo, licet *Baluzii* ſententiæ lubens accedam, cumque eo Lactantium pro Auctore præſentis libri agnoſcam; omnibus tamen *Baluzii* argumentis, quibus eam probare conatus eſt, non adſtipulor; atque nonnulla ex iis tam infirma atque invalida eſſe exiſtimo, ut recte ad ea reſpondiſſe mihi clariſſimus *Nourrius* videatur. Huc pertinet, quod Virgiliani verſus, *Lactantio* familiares, hic legantur; cui recte omnino oppoſuit *Nourrius*, eundem morem & pluribus aliis Patribus fuiſſe receptum, ut verſus ex Virgilio aliiſque Poetis citarent quandoque. Porro cum de nomine LACTANTII ageretur, cur tantum *Lucius Cœcilius* in Codice legatur, duobus reliquis omiſſis; exemplum protulit Baluzius *C. Sollii Apollinaris Sidonii*, in quo & *Modeſti* nomen ſæpiſſime deſideretur; ad quod haud abs re excepit *Nourrius*, *Modeſti* titulum non proprium *Sidonii* nomen fuiſſe, ſed illi modo *honoris gratia* datum; at ipſe tamen *Nourrius* poſtea in eundem ſcopulum illidere videtur, ut ex ſequentibus patebit. *Baluzius* igitur ad tuendam bonam cauſam non optimis ubique uſus eſt rationibus; quod exinde forſan evenit, quia de Auctore hujus libri *Lactantio* minus dubitavit; alias ſi fœcundum eruditione pectus concutere, nervoſque ingenii ſummi, quo pollebat, contendere voluiſſet, dubium non eſt, quin longe pluribus

iiſque fortioribus argumentis ſententiam ſuam, cui & ego lubentiſſime accedo, confirmare potuiſſet. Secundo de *Codice Colbertino* notandum, illum ab imperitiſſimo librario conſcriptum, mendiſque undique repletum eſſe; multæ etiam lacunæ ibi cernuntur, quibus vix ullam poſſis adhibere medelam. Hoc autem ideo obſervaſſe juvabit, quia, quæ Clariſſimus *Nourrius* ex ſtyli obſcuritate hic objicit *Baluzio*, ex eadem ratione facillime reſolvuntur, ut ex ſequentibus patebit. Tertio denique obſervandum, hunc *Codicem Colbertinum* de mortibus perſecutorum eſſe revera unicum, quem in toto orbe literato cognitum habemus; quod utique maxime dolendum; nam ſi alii iſtius nobiliſſimi libri codices extarent manuſcripti, plures, quæ ex inſcriptione atque titulo libri, itemque ex multis locis hiulcis, obſcuris, atque depravatis, petuntur difficultates, ex collatione cum aliis codicibus facilius ſuperari poſſent, atque ita de Auctore libri quoque tutius judicium ferretur. Sed videbimus tamen nunc, an ea, quæ nobis ſuppetunt, documenta *Lactantio* magis, an obſcuro cuidam *Lucio Cæcilio* faveant. Spero autem, illi palmam adjudicatum iri, ſi jam refutatis Cl. *Nourrii* rationibus librum hunc genuino ſuo Auctori reſtituere aggreſſus fuero.

§. 4. Primo igitur *ex titulo libri* argumentari incipit *Nourrius* Artic. II. p. 130. ſeqq. ubi *non aliud*, inquit, *in eo nomen niſi* Lucii Cœcilii *inſcribitur. Nonne autem aliquis eſſe potuit* Lucius Cœcilius, *præter* Lactantium *a quo editus ſit hic liber? Plures enimvero fuiſſe oſtendimus*,

dimus, qui hoc nomine appellati ſunt. Verum primo hac ratione principium petit Vir clariſſimus; ipſe enim contra *Baluzium* probandum ſibi ſumſit, *Lactantium* non eſſe hujus libri auctorem; ſed alium quendam, ignotum licet, *Lucium Cæcilium*; ipſius ergo erat *Baluzii* rationes deſtruere, iiſque pro contraria ſententia meliores eaſque certiores Lectori proponere; at vero ex tota hac reſponſione nihil aliud efficitur, niſi fieri poſſe, ut alius præter *Lactantium* ſit Libri iſtius Auctor, quo ipſo petit id, quod eſt in quæſtione, & conjecturis *Baluzii* alias, eaſque vagas & minus certas opponit. Secundo quod ait, alios fuiſſe, qui iſtud nomen geſſerint, ex eo hoc tantum conſequitur, ſi nulla alia argumenta ſuppeterent, ex ſolo iſto titulo non firmiter & ſine formidine oppoſiti *Lactantio* hunc librum adſcribi poſſe; at cum *argumentum* rei, *ſtylus*, *citatio Hieronymi*, *temporis circumſtantiæ*, iſtum titulum determinent ad *Lactantium*, eique & in aliis codicibus, uti a *Baluzio* oſtenſum, *Lucii Cæcilii* nomen adjectum legatur, optime jam argumentum exinde pro *Lactantio* confectum, patet; idque ex ſequentibus ulterius eluceſcet. Tertio, ſi ita crude & nude liceret Auctorum fœtus in dubium vocare, quia communia quandoque cum aliis ignotis ut plurimum hominibus, nomina geſſerunt; metuo, ne multa probatiſſimæ fidei ſcripta pro ſpuriis atque ſuppoſititiis habenda forent, atque ita de *Clementibus*, *Theophilis*, *Cyrillis*, aliiſque iſtorum ſimilibus nihil certi conſtaret, quia & hos plurimos ſui nominis ſocios

 habuiſſe,

habuiſſe, conſtat. Denique quarto, quod ait, ſe *oſtendiſſe*, plures fuiſſe *Cœcilios*, id propterea etiam rem nondum conficit; quia hic non de ſolo *Cœcilii*, ſed de *Lucii* quoque nomine agitur, quod cum altero hic connexum eſt; illos autem *Cœcilios*, quos nobis hic opponit, & *Lucios* dictos fuiſſe, plane gratis confingitur.

§. 5. Pergit Vir Clariſſimus: *Si Lactantius hunc librum confecit, cur in hoc titulo omiſſa ſunt præcipua duo illius* nomina, quibus a *cæteris Lucii aut Cœcilii nominē nuncupatis diſtingueretur?* Hoc vero ego neſcio; & fruſtra ejus rei rationem requiri puto. At rationem ſibi format Cl. *Nourrius*: *An id librarii amanuenſis oſcitantiæ adſcribendum? Sed id nequaquam fieri potuit.* Cur vero non? cum ab iſtis, imperitis ut plurimum hominibus, frequentiſſime in paribus non modo, ſed quandoque majoris momenti rebus gravius peccatum, conſtet. Annon *Minutii Felicis Octavius* diu pro Arnobii fœtu fuit habitus, quia cum ſeptem ejus Libris uno eodemque filo ab inſciis Librariis connactebatur *, & pro *Octavio* ponebatur

* In Bibliotheca Vaticana præcipue Manuſcriptus Codex inveniebatur, ubi cum reliquis *ſeptem Arnobii* Libris iſte *Minutianus* continuo nexu junctus erat; atque ita quatuor diſtinctis vicibus prodiit, ac primo quidem *Romæ* anno 1542. auctore *Sabæo*; ſecundo in *Germania* per *Gelenium*; tertio *Lugduni* in *Hollandia* Anno 1552. & quarto *Baſileæ A. Eraſmo* Anno 1560. Primus, qui hunc errorem obſervaret, fuit Juriſconſultus celeberrimus *Balduinus*, qui exiguum hunc *Minutii*

octavus,

octavus, quaſi *octavus* eſſet *Arnobii* Liber, nomen vero *Minutii Felicis* omitteretur plane. Atque hac quidem ratione exiſtimo, doctiſſimum *Baluzium* quoque longe fortius pro ſua cauſa defendenda uti potuiſſe, quam illa *Modeſti* in *Sidonii* nomine inſtantia; illa quippe obſervata cadunt omnia, quæ hic ad excuſandam librariorum incuriam a Clariſſimo *Nourrio* diſputantur; ut quando porro confidenter ait p. 131. 132: *Neque eos audiendos eſſe putamus, qui objicient;* Lactantium *ſæpe aut ſolo Firmiani*, *vel* Lactantii, *vel utroque tantum nomine appellari. Nam cum utrumque illud nomen ei proprium fuerit, utroque, aut uno ex iis tantum, a cæteris omnibus ſcriptoribus ſatis diſcernitur. Et hanc certe ob cauſam neminem, niſi plane fallimur, unquam indicabis, a quo Lycii Cæcilii, ſive Lucii Cæcilii duntaxat nominibus appelletur, aut citetur; at id certe multo minus in alicujus libri, ab eo ſcripti, titulo poterit inveniri.* Hæc vero omnia & in *Minutii Octavii* librum poſſent retorqueri, quem tamen genuinum & verum iſtius libri Auctorem eſſe, certum eſt; licet nomina ejus propria, *Minutius Felix*, fuerint per oſcitantiam omiſſa, neque quiſquam ſub ſolo *Octavii*, nedum *octavi*, nomine ipſum citarit. Quid, quod non deſint

Tractatum ſeparatum ab *Arnobii* libris edidit *Heidelbergæ*, Anno 1560. triginta annis poſt *Urſinus* Romæ eundem librum ſub *Minutii Felicis* nomine edidit, diſſimulato tamen *Balduini* nomine, qui errorem primus detexerat.

 Viri

Viri eruditi, qui *Lactantii* nomen *Firmiano* non quaſi proprium, ſed ob lacteam eloquentiam honoris ergo datum, affirment, quorum ſententia ſi vera ſit, id, quod in voce *Modeſti* Cl. *Nourrius* oppoſuit *Baluzio*, eadem ratione & ipſi *Baluzianus* quiſpiam regerere poterit.

§. 6. Mirum vero hic plane mihi videtur, cur Vir Clariſſimus in re præſenti Librarii ſui diligentiam, ex qua nimirum aliquid lucri pro ſua hypotheſi ſperat, tantopere exaggeret, cum tamen ſupra p. 119. & 120. ejus imperitiam, incuriam, atque oſcitantiam ita vivis depingat coloribus, ut eum ob puerilem ignorantiam totque pudenda vitia, quibus hunc librum conſpurcarat, quaſi virgis cædendum judicaret. Huc pertinet, quod ait: *Longe plurima toto paſſim in eodem Codice oſtendemus loca, quæ non ſolum librarii, ut aſſolet, aut oſcitatione ac negligentia, aut nimia ſcribendi feſtinatione, ſed magna etiam linguæ Latinæ ignoratione depravata ſunt, ac penitus corrupta*; idque cum exemplo corruptæ lectionis ex c. 40. probaſſet, ſubjungit: *Quis autem primis Latinæ linguæ elementis imbutus ita unquam ſcribere potuit?* & poſtea cum alia incuriæ & ignorantiæ vitia ipſi exprobraſſet, *ſummam amanuenſis librarii imperitiam evidentiſſime ſibi probaſſe*, videtur, p. 120. Si ergo iſte librarius, qui codicem hunc de mortibus perſecutorum exaravit, tantæ fuit oſcitantiæ & ignorantiæ homo, uti revera fuit, non jam, ubi de titulo *Lactantii* omiſſo agebatur, ad exactam diligentiæ amuſſim revocandus erat, nec, cum hic incuriam librarii interveniſſe,

ſe, manifeſto appareat, dicendum: *Sed id nequaquam fieri potuit*, pag. 130. & poſtea: *Fac tamen, ſi Deo placet, utrumque Lactantii Firmiani nomen a librario oſcitante, & aliud cogitante, quod fieri vix aut ne vix quidem potuit, fuiſſe prætermiſſum.* &c. Fieri enim certe potuit, ut librarius, quippe homo rerum omnium ignorantiſſimus, vel ipſe Auctorem libri ignoraverit, vel, quia integrum nomen præfigere ei nimis longum videbatur, per oſcitantiam duo priora tantum *Lucii Cæcilii* nomina, potioribus reliquis omiſſis, deſcripſerit; prout id haud ſine ratione a *Baluzio* annotatum. At objicit Vir Clariſſimus, titulum illum *minio* & *literis majuſculis* exaratum; *quis autem neſcit*, inquit, *majorem a librariis amanuenſibus diligentiam in hiſce titulis, & auctorum nominibus, quam in cæteris omnibus deſcribendis adhiberi?* adhiberi debuiſſe, dicere fortaſſe voluit; nam experientia docuit, eos, licet minio utentes, tamen in titulis quoque ſæpenumero dormitaſſe. Præterea nec id plane verum eſt, minio ſubinde titulos exaratos; ſæpius enim *flavo*, vel *cæruleo*, quandoque etiam communi tantum *atro* colore utebantur; & ipſe haud ita pridem Inſtitutionum *Lactantii* Codicem manuſcriptum hic *Cantabrigiæ* in Bibliotheca publica vidi, ubi titulus ab initio poſitus, in fine repetitur, & nigro tantum colore expreſſus cernitur; ex quo, ut alia exempla taceam, ſatis apparet, in nominibus ex minio confectis libertate ſua uſos librarios, neque exinde certum quoddam diligentiæ documentum peti poſſe. Quod autem

porro ait p. 133. librarium præſentem, ne *libri ſine dubio venalis pretium perderet*, ex oſcitantia titulum præcipuum non omiſſurum fuiſſe; id ipſius ſententiæ obeſt potius quam prodeſt; nam ſi iſte librarius ex lucri cupiditate (qualis utique in plurimis amanuenſibus tam frequens fuit, ut illa quandoque ad impoſturam faciendam inducerentur) hic egiſſe cenſendus eſt, utique non ſolius *Lucii Cæcilii*, hominis quippe, ut ille putat, obſcuri omnibuſque ignoti titulum huic operi præmittere debebat; nam exinde nulla ſpes lucri ipſi affulſerat; majorem itaque ſpeciem habitura foret hæc Viri doctisſimi ratio, ſi celebre omnibuſque notiſſimum *Lactantii* nomen præfixum legeretur; tum enim fortaſſe dicere potuiſſet, id inde proveniſſe, ut librarius majorem auctoritatem majuſque pretium ſuo libro conciliaret; quemadmodum, uti dictum, hac fraude ſæpe uſi ſunt amanuenſes, in quo & inventa jam Typographia Librarii ſæpius eos imitari viſi ſunt.

§. 7. Ex hactenus vero dictis jam conſtare puto, nihil plane in hoc titulo comparere, quod opus a *Lactantio* alienum ſapiat. Conſtat quippe, *Lucii Cæcilii*, vel *Cælii*, nomen *Lactantio* competiiſſe: dari Codices, ubi integro nomine *Lucius Cæcilius Firmianus Lactantius* legitur: eandem hujus nominis rationem cerni in vetuſtioribus hujus Patris iiſque primis editionibus: Librarios per incuriam ſæpius præcipua Auctorum nomina omiſiſſe, quod in *Minutii Felicis* exemplo oſtenſum; cui, ſi res pateretur, alia adjicere poſſem: præſentem hu-

jus

jus Codicis noſtri amanuenſem fuiſſe talis non modo oſcitantiæ, ſed ſtupendæ plane ignorantiæ atque imperitiæ hominem : ergo ex ſolo *Lucii Cæcilii* titulo nihil contra Auctorem hujus libri *Lactantium* hactenus conficitur ; idque ſecundum Regulam Criticam : *ſi unum nomen alicujus Auctoris quandoque omiſſum ſit, nihil impedit, quo minus ejus opus pro genuino reputetur, modo cætera, quæ ſcripta extant, nomina ipſi vere competant, neque ex aliis magis certis atque evidentibus documentis pateat, tale opus ab eo provenire non potuiſſe.*

§. 8. Id tamen ſententiæ noſtræ adhuc obſtare videtur, quod *Lactantius* communiter non *Cæcilii*, ſed *Cælii* nomine appellatus fuit. Verum quis non videt, tantam inter hæc duo nomina eſſe affinitatem, ut unum pro altero etiam a Viris accuratioribus, ne dicam, ab oſcitantibus librariis ſumi potuerit ? Quid enim ? an qui in rebus maximis tam graviter peccare viſi ſunt, in levioribus ab errandi periculo immunes fuere ? & qui res toto cœlo a ſe invicem diverſas ſecum commiſcuere, an illi ea, quæ ſimili vocum ſonu ſibi invicem reſpondent, * confundere nequiverunt ? Quid magis a ratione alienum videtur, quam dari Codices, ubi *Julio Cæſari* nomen *Celſi* adjectum legitur;

* Sæpisſime nomina ſibi ſimilia non modo a librariis, ſed a Viris eruditis quoque inter ſe commutata fuere ; quod de nominibus *Maximini* & *Maximiani Euſebio* & cum eo *Zoſimo* exprobrat *Joſephus Scaliger* in animadv. ad Chron. *Euſeb.* p. 227.

quod

quod ab imperitisſimo librario illi datum, quia, qui illum recenſuerat, *Celſus* dicebatur; miram vero *Celſi* cum *Julii Cæſaris* nomine confuſionem! Nihil tam inſolens apparet in *Cœlii* cum *Cæcilio* commixtione, ut quivis æquus rerum arbiter facile intelligit. Deinde jam a *Baluzio* oſtenſum eſt, dari alios Codices, quibus integrum *Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii* nomen præfixum eſt; utrum ergo ex his duobus, *Cæcilii* an *Cœlii* (quanquam hoc poſterius magis arrideat quam prius) nomen eligatur, res eodem recidit; nec, puto, ex iſta diverſitate quicquam ſolidi argumenti peti poteſt, quo liber hic præſtantiſſimus *Lactantio* abjudicetur. Sed jam ulterius nobis eſt progrediendum.

§. 9. Inter *Regulas Criticas*, quibus opera genuina a ſpuriis diſtingui poſſint, ea porro una eſt ex præcipuis, quæ ita habet: *ſi opus aliquod a ſcriptore quodam bonæ fidei eoque inprimis antiquiore fuerit citatum, tanquam a certo aliquo Auctore profectum; illud ſi cætera paria ſint, recte pro authentico atque genuino habetur;* ratio hujus regulæ manifeſta eſt: cum enim hic de factis agatur, ad teſtimonia hominum neceſſario erit recurrendum; eaque tum erunt majoris momenti, quo melioris auctoritatis ſunt iſtæ perſonæ, a quibus illa fuere profecta. Sunt autem, uti dixi, hic duo potiſſimum attendenda; primo num teſtimonium provenerit ab *Auctore bonæ fidei*; ſecundo num ſit ab *Antiquiore*. Illud per ſe patet; hoc vero exinde colligitur, quia hic non de dogmatibus agitur, ubi rationum momenta inter ſe conferenda,

renda, atque exinde veritas dijudicanda; ſed de factis, quæ non niſi fide hominum reſcire potuimus; atque hoc ſenſu ſine dubio antiquiores recentioribus omnibus præferri merentur; idque ex ſolida Regula Critica: *Quo propius aliquis Auctor attingit ætatem eorum, de quibus loquitur, eo major quoque fides ejus teſtimonio adhiberi meretur.* Ita *Euſebius* varios libros, qui ipſius ætate *Petro* a nonnullis adſcribi ſolebant, rejicit, quod a nemine Auctorum Veterum eſſent citati. *

§. 10. Jam ergo nobis erit diſpiciendum, an præſens *Lactantii* opus aliqua veteris cujuſdam ejuſque bonæ fidei Auctoris citatione nitatur. *Baluzius* profert auctoritatem *Hieronymi*, qui librum de *Perſecutione Lactantio* adſcribit; quo argumento, ſi cum reliquis conjungatur, omnino noſtram ſententiam confirmari, exiſtimo, quod eo clarius patebit, ſi, quæ hic a *Cl. Nourrio* objecta ſunt, ſedulo a nobis diſcutiantur. Scilicet in eo difficultas ab ipſo movetur, quod Hieronymus librum de *perſecutione Lactantio* tribuat; hic vero de *mortibus Perſecutorum* ſit inſcriptus; quæ duo inter ſe toto cœlo differant. Verum non adeo magna inter duos iſtos titulos diverſitas apparet; imo potius ami-

* Τὸ μὲν τῶν ἐπικεκλημένων αὐτοῦ πράξεων καὶ τὸ κατὰ αὐτὸν ὠνομασμένον εὐαγγέλιον, τότε λεγόμενον αὐτοῦ κήρυγμα καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν, οὐδ' ὅλως ἐν καθολικοῖς ἴσμεν παραδεδομένα, ὅτι μήτε ἀρχαίων μήτε τῶν καθ' ἡμᾶς τὶς ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς ταῖς ἐξ αὐτῶν συνεχρήσατο μαρτυρίαις. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3.

co

co nexu ſibi invicem reſpondent. *Perſecutionis* enim vocabulum æque eos reſpicit, qui eam patiuntur, quam qui illam inferunt; adeoque & *perſecutoribus* eorumque juſtis eventibus recte applicari poteſt. Deinde, Patres in citandis Auctorum libris non omnia ad vivum reſecuiſſe, eoſque quandoque *generalibus*, nonnunquam etiam valde ambiguis titulis rem aliquam citaſſe, ex multis documentis conſtat. Atque id quidem *Hieronymus* inprimis, de quo hic agitur, in libro de Auctoribus Eccleſiaſticis, ſæpiſſime ſuo comprobavit exemplo, quod, ne gratis dixiſſe videar, jam aliquot teſtimoniis erit confirmandum. Ita laudat *Hieronymus Bacchyllum, Corinthi Epiſcopum*, eumque *ex omnium, qui in Achaia erant, Epiſcoporum perſona elegantem de Paſcha librum* conſcripſiſſe dicit. Verum ſi conſulamus *Euſebium*, hujus verba paulo aliter ſonant; nam poſtquam ibi varias ſynodales epiſtolas de hac diſputatione conſcriptas enumeraſſet; ſubjungit; καὶ ἰδίως βακχύλλου τῆς Κορινθίων ἐκκλησίας ἐπισκόπου, καὶ πλείστων ὅσων ἄλλων, οἱ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν δόξαν τε καὶ κρίσιν ἐξενηνεγμένοι τὴν αὐτὴν τέθεινται ψῆφον, καὶ τούτων μὲν ἦν ὅρος εἷς, ὁ δεδηλωμένος. Ex his verbis ſequi videtur, epiſtolam illam *Bacchylli* non communi & publico nomine, vel, uti *Hieronymus* ait, *ex perſona omnium*, qui in *Achaia* erant, Epiſcoporum, ſed privata auctoritate (ἰδίως) ab eo confectam. At *Tillemontius Hieronymum* facile cum *Euſebio* conciliari poſſe, exiſtimat, ſi modo

modo verba *Hieronymi, ex perſona,* non adeo rigoroſe, ſed paulo latius ſumantur; ut hic ſenſus ex iis reſultet: *Bacchyllum* in controverſia de Paſchate celebrando epiſtolam ſcripſiſſe, quæ ſolum quidem ipſius nomen referat; & in qua ut perſona privata loquatur; rem vero *ex decreto Concilii ſuæ Provinciæ* ab eo prolatam; prout *Julius Papa* ex mente *Concilii Romani* Epiſtolam *Epheſiis* ſcripſerit. Sic porro *Irenæus* librum brevem contra gentes de ſcientia, περὶ ἐπιςήμης, ſcripſiſſe, legitur; *Hieronymus* tranſtulit nomen libri, *de diſciplina,* eumque diſtinguit ab illo, qui erat contra gentes ſcriptus; quo ipſo bis impegiſſe videtur, tum quia nomen Græcum, ἐπιςήμη, non ſatis adcurate reddit per *diſciplina,* tum quia brevis iſte liber contra Gentes confectus, erat idem ille liber *de Diſciplina,* quem tamen *Hieronymus* alteri opponit. Denique *Euſebius* tribuit *Theophylo Antiocheno* librum Καταχητικὰ dictum; *Hieronymus* paulo laxius vocabulum exprimit, dum ea vocat *breves elegantesque tractatus ad Eccleſiæ ædificationem pertinentes.*

§. II. Cum ergo ex his, aliisque pluribus, quæ brevitatis ſtudio hic prætermitto, documentis abunde conſtet, *Hieronymum* ad exemplum reliquorum Patrum librorum titulos, quandoque latiori tantum ſignificatu, ſæpe etiam paulo obſcurius & dimidia tantum ex parte citaſſe; ſane non ad vivum reſecari poterit præſentis libri inſcriptio, ſi forte ab ea, quam habemus, *Hieronymi* citatione iſta paululum differre

ferre videatur. Quanquam, quod caput rei attinet, jam oſtendimus, *Hieronymi* verba nihil continere, quod a noſtri Codicis titulo alienum ſit, ſi modo, uti ſupra in vocibus *ex perſona* feciſſe vidimus *Tillemontium*, citatio *Hieronymi* non ita rigoroſe, ſed paulo laxiori ſenſu ſumatur.

§. 12. Nihil ergo agit Clariſſimus *Nourrius*, dum quaſi mentem *Hieronymi* perfecte expiſcatus, quid in iſto *de perſecutione* libro extiterit, ita nobis paulo confidentius deſcribit: *Qui enim*, inquit, *de perſecutione*, *Chriſtianorum videlicet, conficit librum, is procul dubio in illo explicare debet, quæ & quanta ii pro religionis ſuæ profeſſione tormenta ac ſupplicia pertulerint, ac quomodo illam ad extremum uſque Spiritum & crudeliſſimam internecionem fuerint tutati.* Verum hæc ſuperſtructa ſunt hypotheſi, quam nondum probavit Vir Clariſſimus, *Lactantii* librum *de perſecutione* ab *Hieronymo* citatum, ad eos unice pertinere, qui pro Religione malis diriſſimis affecti erant, & non potius ad eos, qui iſta innocentiſſimis Chriſtianis intulerant. Sane qui librum *de perſecutione* ſcribendum ſibi proponit, hoc, quod in noſtro Codice continetur, argumentum ſi pertractet, nihil, quod iſti titulo non perfecte reſpondeat, tractaſſe cenſendus eſt. Et ipſa *perſecutionis* vox tam horrida eſt, ut æque in nobis ideam *perſecutorum*, quam miſerorum, qui calamitatem ſubeunt, excitare videatur.

§. 13. Pergit *Cl. Nourrius* p. 223: *Præterea quomodo tanta confidentia adſeverari poteſt*

unam

unam eandemque eſſe illam de perſecutione & de mortibus perſecutorum commentationem? Scimus enim, quid hic Coecilii de mortibus perſecutorum liber complectatur: quid vero in Lactantii *libro de perſecutione ſcriptum fuerit, plane penituſque ignoramus. Nam jacturam illius jam a longiſſimo tempore fecimus, ac ſolus illius titulus ab Hieronymo deſignatus ſupereſt. Tacuit enimvero eximius ille Doctor, quæ in illo a* Lactantio *diſputata ſunt, nec ea ab ullo alio Scriptore ſcire hactenus licuit.* In his verbis primo principium petit Vir doctiſſimus; hoc enim quæritur, annon hic præſens liber ſit idem ille, quem *Hieronymus* citavit, qui, poſtquam diu cum blattis ac tineis fuerat luctatus, tandem in lucem reſtitutus eſt; quod cum neget Vir Clariſſimus, ejus utique erat, contrarium idoneis rationibus confirmare; at vero ea, quam modo vidimus, ratione ſententiam ſuam non probat, ſed veram eſſe ſupponit. Secundo in reſponſione modo allata Vir doctiſſimus ſibi contradicit; quid in libro *de perſecutione* contineatur, *plane penituſque ignorari*, inquit, neque *ab ullo ſcriptore ea ſcire hactenus licuiſſe;* atqui ipſe tamen paulo ante nobis iſtius libri argumentum ſatis pro audacia deſcripſit, idque a præſenti codice longe alieniſſimum, contendit; cur vero talia præſumit, ſi, quid in libro *de perſecutione* contineatur, *plane penituſque ignorat?*

§. 14. Sed videor mihi videre Virum Clariſſimum id regerentem; ſe non adſeveraſſe, quid in iſto libro contineatur, ſed, quid in eo

N *exta-*

extare debuerit, ex titulo, quem allegat *Hieronymus*, *de perſecutione* collegiſſe. Hoc vero longe audacius eſt; nam ita limites præſcribit *Hieronymi* ſcopo, de cujus tamen libro *ſe nihil penitus noſſe* fatetur. Secundo denuo ſic petit principium, quod verba *Hieronymi* ſine ulla ratione ſolida argumento libri *de mortibus perſecutorum* opponit, a quo tamen ea, prout ſonant, haud plane aliena videntur.

§. 15. Inſtabit forſitan Vir doctiſſimus, eandem, quam ipſi propono difficultatem, & me premere, qui verba *Hieronymi* generalia ad meam applicavi ſententiam. Verum id inter nos diſcriminis eſt, quod *Cl. Nourrius Hieronymi* verbis, *Lactantii* librum de mortibus Perſecutorum plane non poſſe intelligi, ſupponit; ego nullam talem repugnantiam hic eſſe oſtendi; illius eſt, rationibus ſuam probare ſententiam; mei, ad eas reſpondere. Ille, ut oſtendi, pro argumentis propoſuit hactenus *meras petitiones principii*; ego, Codicis noſtri argumentum neque a verbis *Hieronymi*, neque a conſuetudine, qua ille ad morem reliquorum Patrum in laudandis Auctorum ſcriptis uſus eſt, abhorrere, exemplis atque rationibus palam feci. * Judicet Lector, utrius partis ha-

* Forte, dum hæc ſcribo, incido in præſtantiſſimam editionem *Firmiani Lactantii Epitomes Inſtitution. Divinarum* a celeberrimo Viro *Chriſt. Matthæo Pfaffio* ex codice *Taurinenſi* erutam. ubi in Diſſ. præliminari p. 16. argumentum occurrit, quod omnino noſtræ ſen-

ctenus

ctenus melior ſit conditio? ego vero jam Clariſſimi adverſarii, *ad alia non minoris ponderis rationum argumenta gradum* facientis, veſtigia preſſe ſequar.

§. 16. In Articulo III. p. 134. ſqq. plura argumenta ex *ſtyli obſcuritate* ac *nimia brevitate* petita proponit, quibus ſuam probare ſententiam conatur. Et vero hic jam in prima acie triumphum canit Vir Clariſſimus, cum nondum e longinquo ſpes victoriæ immineat. *In fine videbitur cujus toni*, ita vero ille: *Nullum certe, quo hic liber* Lactantio *adjudicetur, argumentum minoris momenti & ponderis eſſe videtur, quam illud, quod plurimi hactenus ex Auctoris illius ſtylo & ſcribendi ratione erui poſſe exiſtimant, nam inde manifeſte demonſtrari poteſt, eum ab illo* Firmiano Lactantio *ſcriptum nunquam fuiſſe.* Si hæc ita probaverit Vir Clariſſimus, erit nobis utique magnus Apollo. Sed metuo, ne illæ *manifeſtæ demon-*

tentiæ lucem affundere videtur. Nempe, quod titulum *Hieronymi* attinet, hæc ab eo egregie annotata ſunt: *At quamvis non idem ſit libri de perſecutione ab* Hieronymo *citati, & alterius de mortibus Perſecutorum titulus, hoc tamen non impedit, quo minus uno eodemque libro conjunctum fuerit utrumque dicendi argumentum. Ita certe id conjunxit Lact. in Ep. c. LIII. ubi de ſuppliciis Chriſtianorum mortibuſque perſecutorum, in unam maſſam conjecta dicendi materie, agit, & in hæc verba fatur: Nam cum iſti* &c. Male ergo Clariſſimus *Nourrius* opponit titulum *Hieronymi* præſentis Codicis inſcriptioni atque argumento, quod ille potius includit, uti ex allato teſtimonio apparet.

 ſtra-

ſtrationes, quas hic nobis promittit, in talia *omnigena argumenta* degenerent, quibus ſupra *Maſſuetus*, ſatis ſcilicet acute, adverſarium vincendum putavit. Sane, qui miſſo partium ſtudio hunc librum attente perlegerit, plura ibi ex ſtylo documenta deſumere poterit, quibus hunc librum a *Lactantio* ſcriptum, veriſimillimum apparebit. Multa enim ibi tam nitide, tam eleganter atque terſe expreſſa ſunt, ut illa quidem ætate, (concedit enim & Cl. *Nourrius* jam ſub initium ſeculi IV. hunc Codicem fuiſſe confectum) non niſi a lacteo *Lactantio* proficiſci potuerint. Legant modo, qui librum ad manus habent, ejus initium, item p. 7. & 8. ubi de *Diocletiano* ac de religione per totum orbem diffuſa verba facit; porro deſcriptionem, quam de *Maxim. Galerio* pag. 17. facit, & alia iſtiuſmodi loca, eaque cum reliquis *Lactantii* ſcriptis conferant, & videbunt ſane, ſtylum hic omnino noſtrum Auctorem ſapere. Quis enim quæſo ex Patribus Eccleſiæ, illa præſertim ætate, qua hic liber ſcriptus fertur, tam pulchre ac nitide ſcripſit, ac noſter p. 8. ubi hæc verba leguntur. *Reſciſſis igitur actis Tyranni, non modo in ſtatum priſtinum Eccleſia reſtituta eſt, ſed etiam multo clarius ac floridius enituit; ſecutiſque temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani Imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa,* *

* Ita idem *Lact.* l. 7. c. 15. *ſublata enim Carthagine manus ſuas in totum orbem terrarum terra marique porrexit.*

manus

*manus ſuas in Orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetraſſet, nulla denique natio * tam feris moribus vivens, ut non, ſuſcepto Dei cultu, ad juſtitiæ opera miteſceret. Sed enim poſtea longa pax rupta eſt*, &c. Hæc certe non ſunt verba *hominis in ſcribendo nondum ſatis exercitati*; ut exiſtimat *Vir Clariſſimus* pag. 144. Taceo multa alia loca, quæ elegantiſſimum & plane *Lactantianum* ſermonis genus referunt, quibus brevitatis ſtudio immorari non licet. Hoc unum annotabo, multas in hoc libro occurrere loquendi formulas, quæ plane familiares & propriæ fuere *Lactantio*. Ita Chriſtum Cruci affixum facit *duobus Geminis Conſulibus*; quod eodem modo expreſſerat lib. IV. Inſt. §. XI. fuerunt autem duo illi Conſules, *C. Rubellius* & *C. Fuſius*, ut ex hiſtoria conſtat; quos in neutro ex his locis nominat *Lactantius*. Huc addi merentur, quæ & *Baluzius* obſervavit in notis ad. c. x. ubi locum, *Quidam Miniſtrorum* &c. confert cum lib. IV. Inſt. cap. XXVII. *nam cum diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis* &c. item ad c. XVIII.

* Conf. *Lact.* lib. IV. inſt. cap. XXVI. *Nam quoniam is qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior, crux potius electa eſt, quæ ſignificaret, illum tam conſpicuum tamque ſublimem futurum, ut ad eum cognoſcendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrant? Denique nulla gens tam inhumana eſt, nulla regio tam remota, cui aut paſſio ejus aut ſublimitas majeſtatis ignota. Baluzius.*

N 3 ubi

ubi hanc phraſin, *ita plane*, omnino familiarem fuiſſe *Lactantio* probat ex lib. I. Inſt. cap. XI. & lib. II. cap. II. neque talis loquendi formula apud reliquos Patres facile deprehenditur.

§. 17. Nihil aget Vir Clariſſimus, ſi ad ea, quæ pro *Lactantio* ex ſtyli convenientia dicta ſunt, regerere nobis velit, *longe certius ex ſtyli orationisque differentia, quam ſimilitudine judicium ferri poſſe, an diverſi libri ab uno eodemque auctore profecti fuerint;* ut ait p. 134. Nam ut ſilentio præteream, hanc regulam generatim ita poſitam a me plane non negari; quod & ea, quæ ſupra a me dicta ſunt, ſatis oſtendunt; probe inſuper notandum, eadem ratione, qua Vir doctiſſimus ſuam conatur adſtruere ſententiam, noſtram egregie confirmari. Nam ſi ille ex diverſitate ſtyli, quam fingit, hunc fœtum *Lactantio* abjudicat, cur nobis non liceat, contrario ejus oſtenſo, pro *Lactantio* argumentari? & certe, ſi nulla argumento ex convenientia ſtyli petito per ſe vis ineſſet, (quanquam id nemo artis Criticæ peritus unquam dixerit) ſaltim illud contra Clariſſimi Viri ſententiam maximi momenti erit; quia ita nulla in hoc codice a ſermonis genere *Lactantiano* diverſitas relinquitur; quam Vir Clariſſimus ſine idoneis rationibus ſupponit. Secundo quod ſtyli convenientiam attinet, diſtinguo inter ſimilitudinem qualemcunque, & inter eam, quæ alicujus Auctoris ſcriptionem ita refert, ut, ſi omnes inter ſe probe conferantur circumſtantiæ, non facile ab alio proficiſci po-

tuerit.

tuerit. Jam præſens Codex ſtylo conſcriptus eſt eleganti, puro, & nitidisſimo; in eo omnia, quæ integra hic manſere, neque temporum injuria, vel Librarii vitio corrupta ad nos pervenere, pulcherrima ſunt, qualia a nemine iſtius temporis Auctore fuerunt conſcripta; quæ autem obſcuritate vel nævis laborant, cæteris adeo non reſpondent, ut iſta vitia nulla ratione hujus libri Auctori adſcribi posſint; eſſe præterea varias in hoc Codice dictiones *Lactantio* familiares, & proprias, nullisque pene iſtius temporis ſcriptoribus Eccleſiaſticis uſitatas, ex collatione cum aliis S. Patrum ſcriptis, oſtendi; quibus illud adhuc addi poteſt, res, quæ hic traduntur, magno cum judicio proponi, multaque ad iſtius ætatis hiſtoriam pertinentia gravisſimi momenti argumenta, quæ alibi fruſtra quæſiveris, hic fideliter & accurate explicari; * ex

* Qui hujus rei aliquod documentum videre cupiunt, adeant modo *Criticam Hiſtorico-Chronologicam* Viri Clariſſimi, *Antonii Pagii*, qui ex hoc ipſo *Lactantii* de mortibus Perſecutorum libro quamplurima ad illuſtrandam Antiquitatis Romanæ, ſeculi inprimis IV. hiſtoriam deſumſit. Quo nomine & ipſum laudavit Vir illuſtris atque doctiſſimus *Gisbertus Cuperus*, ordinum Belgii Fœderati quondam Senator, in epiſtola ad *Paulum Voet van Wiſſen* ſcripta, ex qua hæc verba huc adſcribi merentur. *Vix finita* hæc erat Epiſtola, cum ecce ad me" affertur *Antonii Pagi*, Viri Eruditisſimi & diligentis" temporum Reſtauratoris, *Critica Hiſtorico-Chronologica* in Annales Eminentiſſimi *Baronii*. Cumque ille" mirum quantum *Diocletiani* & *Imperatorum*, qui cum" eo regnarant, tempora illuſtret, tuum erit judicare,"

quibus pro ſua æquitate judicabit lector benevolus, num ratio ex *convenientia ſtyli Lactantiani* petita in præſenti diſputatione contemni mereatur, & an recte *Nourrius* Codicem noſtrum attribuat *homini in libris conſcribendis nondum ſatis exercitato?* pag. 144.

§. 18. Sed quorſum pro vindicanda Codicis noſtri auctoritate tam diu in proferendis ex ſtyli convenientia rationibus laboro, cum ea, quæ hic a Clariſsimo *Nourrio* diſputantur, examinare, ad eaque pro virili reſpondere ſufficiat. Huc ergo animum nunc adverto, ſingulas Viri doctiſsimi rationes breviter diſcuſſurus.

§. 19. Primam rationem ad probandam ſtyli obſcuritatem deducit Vir Clariſsimus ex teſtimonio Commentatorum, qui faſsi ſint, *Cæcilii breviloquentiam ejusque ſermonis brevitatem* vitioſam eſſe, ac plane obſcuram. Primo vellem, ut Vir Cl. nobis exponeret, quid inter *breviloquentiam* & *ſermonis brevitatem* diſcriminis intercederet. Deinde, quod rem ipſam attinet, reſpondeo; ex illa ratione Viri doctiſsimi nihil plane probari: quæſtio enim eſt, an illa loca *vitioſa* & *obſcura*, ut ille ait, ſint Auctori

„annon bene rebus ſuis conſulturus Typographus ſit, ſi „illa ex opere quæ *Lactantio* elucidando inſerviunt, ex„cerpta, editioni novæ adjiciat; mihi certe iſtud vide„tur apprime utile, atque eruditis acceptum fore; tum „quia liber ille non omnium manibus teritur, tum quia „ita in unum corpuſculum collecta forent omnia, quæ „ad melius hunc intelligendum libellum neceſſaria „ſunt.

ctori an Librario adſcribenda? poſterius ſtatuunt plurimi ex hujus Libri Commentatoribus, quorum teſtimonium proinde fruſtra pro ſe allegat: prius ſi velit, cur quæſo nobis proponit ſententiam, pro qua nullam plane rationem adducit? Et ſane id neceſſarium fuiſſet, quia tot alia pulcre atque eximie dicta in hoc Codice leguntur, ut reliqua, quæ ex ignorantia vix puero digna ſummaque oſcitantia ſcripta ſunt, nullo plane idoneo fundamento hujus libri Auctori imputari queant. Secundo ſi ex iis, quæ *Commentatoribus* obveniunt, difficultatibus, iis præſertim, quæ, ex depravatione alicujus Codicis originem trahunt, argumentum ſolidum contra libri alicujus *αὐθεντίαν* peti poteſt, omnia jam Antiquitatis monumenta in dubium vocari poterunt, quia vix ullus veterum Codex occurrit, in quo non multa *vitioſa* & *obſcura* remanſerint. Atque idem quoque de illa Viri Cl. ratione habendum, quæ ex translationibus hujus noſtri Codicis deſumta eſt p. 134. *Et certe pluribus in locis tanta obſcuritate eſt involuta, ut ii, qui tenebricoſos ejuſmodi locos aut ſuis Animadverſionibus, aut Gallicis, Anglicisque interpretationibus explicare voluerunt, a ſe invicem omnino diſſentiant.* An vero ſi translationes unius ejuſdemque ſcripti a ſe invicem differunt, ejus auctoritas propterea vacillat? Hoc nemo æquus rerum arbiter dixerit. Argumentum hoc nimium probat, ergo nihil. Quod interpretationes Anglicanas, quarum hic mentionem facit, attinet, vellem, ut Vir Cl. quibuſdam documentis in nova libri ſui

editione ſententiam ſuam probaret; ego ad manus habeo Anglicanam *Burneti* verſionem, (neque vero plures dari puto, licet Vir Cl. plurium mentionem fecerit) quæ eximia eſt, atque librum in locis quamplurimis egregie illuſtrat, cujus poſtea aliquod ſpecimen afferam.

§. 20. *Quis autem* (pergit Vir Cl.) *nobiſcum non fatebitur, eruditos illos homines debuiſſe, aut vitioſæ hujus brevitatis accuſare* Lactantium, *aut ipſi hunc librum abjudicare.* Nemo vero id facile, ut arbitror, fatebitur. Datur enim *tertium*, nempe *imperitus*, & *negligentiſſimus Librarius;* cui ipſe Vir Cl. pag. 199. iſtius Codicis depravationem tribuit. Deinde argumentum hoc rurſus nimium probat; nam eo ſtante de omnibus pene librorum Auctoribus dubitandum foret, quorum ſcripta vitioſa & mendis repleta ad nos uſque pervenerunt.

§. 21. Hactenus nondum vidimus ullam idoneam rationem, qua Viri Cl. ſententia ſuffulciretur; jam vero nobis promittit, ſe *plane demonſtraturum, quantum non ſolum obſcura ſit* Cœcilii *noſtri breviloquentia, ſed quantum etiam illius dicendi genus & ſtylus a* Lactantiano *diſcrepent.* Primum argumentum eſt, quod *Lactantius* c. 2. utitur phraſi, *fundamenta mittere. Lactantium* vero alibi, *fundamenta jacere*, dicere conſueviſſe. An hæc ratio ſit *plana demonſtratio*, judicium ſit penes Lectorem; ipſe certe Vir Cl. ſtatim de ea humilius ſentire videtur, dum ait; *hanc rationem levioris momenti pluribus videri poſſe, ſeque idcirco tantum eam obſervaſſe; quia nonnulli utrumque annotarint*

loquen-

loquendi modum, tanquam omnino ſimilem, ac penitus eundem. Quam facile enim vero fieri potuit, ut librarius, quorum hominum mos erat, in rebus etiam majoris momenti, quadrata rotundis miſcere, unum vocabulum pro altero hic poſuerit? ut ſilentio prætercam, *Lactantium*, utut ad *Tullianam* eloquentiam proxime acceſſerit, tamen ita non ſibi ſemper caviſſe, quin vocibus quandoque Eccleſiaſticam magis quam *Ciceronianam* latinitatem ſapientibus uteretur, quales ſunt, *paſſio, cruciatus*, pro *cruci affixus*, & iſtiuſmodi plura. Hæc tamen non eo pertinent, ac ſi crederem, *Lactantium* ſcripſiſſe, *fundamenta miſerunt*, quin potius vitio librarii eam locutionem adſcribo. Cæterum iſta phraſi utitur *Sidonius Apollinariis* l.2.Ep.11.

§. 22. Novam rationem depromit Vir Cl. ex. c. 3. ubi de *Domitiano* agit *Lactantius*, ipſo non nominato. *Siccine ergo* (inquit Vir Cl.) *Lactantius ſuſpenſos ſuis in libris retinuit legentium animos; ut eis, de quo loquatur, relinquat non facile divinandum.* Miror ſane hanc Viri Doctisſimi rationem; tam clare enim & luculenter ibi a *Lactantio* deſcribitur *Domitianus*, ut plane hoſpitem eſſe oporteat in hiſtoria, qui lectis illis verbis non ſtatim in *Domitiani* memoriam incidat. Age, apponamus hic ipſa *Lactantii* verba: *Poſt hunc, interjectis aliquot annis,* ALTER *non minor tyrannus ortus eſt, qui cum exerceret inviſam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutiſſime, tutuſque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet. Poſt-*

quam vero ad perſequendum juſtum populum in-ſtinctu Dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. Nec ſatis ad ultionem fuit, quod eſt interfectus domi, etiam memoria nominis ejus eraſa eſt. Nam cum multa mirabilia opera fabricaſſet, cum Capitolium, aliaque nobilia monumenta feciſſet, Senatus ita nomen ejus perſecutus eſt; ut neque imaginum neque titulorum ejus relinqueret ulla veſtigia, graviſſimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam ſempiternam. An hic, quæſo, quicquam dictum eſt, quod *ſuſpenſos retineat legentium animos, ut eis, de quo hic loquatur* Cœcilius, *non facile relinquatur divinandum?* In hoc ſane nemo Viro Clariſſimo adſtipulatus fuerit, & facile mihi foret, inſtituto parallelismo horum verborum cum teſtimoniis *Suetonii, Dionis Caſſii*, aliorumque fide digniſſimorum Auctorum demonſtrare, hiſce verbis clariſſimis *Domitianum* vivis coloribus depictum, niſi res lippis & tonſoribus nota eſſet, ut nulla hic *divinandi* peritia opus videatur. Majoris momenti illud eſſe puto, ut hic paucis annotem, quæ ratio probabilis impulerit *Lactantium*, ut Imperatoris nomen hic omitteret. Id vero non difficulter ex primis ſtatim verbis oſtenditur; *poſt hunc (Neronem)* inquit, ALTER NON MINOR TYRANNUS ORTUS EST; conſtat vero ex hiſtoria, *Domitianum* crudelitate ac tyrannide *Neroni* ita ſimilem fuiſſe, ut frequentiſſime ALTER NERO, quandoque etiam PORTIO NERONIS vel SUB-NERO diceretur; & *Auſonius* Poeta ita ipſum deſcribit,

quem

- - - *quem dixit Calvum ſua Roma Neronem.* cum ergo hæc omnibus nota fuerint; cum perſecutorem *Neronem Domitianus interjectis tantum aliquot annis* ſequeretur; cum de illo paulo ante verba feciſſet *Lactantius*; plane non erat neceſſarium, *Domitiani* nomen hic proferre, cum verba, ALTER NON MINOR TYRANNUS, ipſum clariſſime exprimerent. Accedit, quod reliquæ, quæ hic enumerantur, circumſtantiæ Hiſtoricæ „etiam vulgo notæ, non niſi *Domitianum* loquantur. Cum ergo familiare admodum ſit oratoribus, perſonas quandoque a *rebus* potius, quam ab ipſorum *nominibus* deſcribere, nihil ſane a *Lactantio*, in ſtudiis Rhetoricis verſatiſſimo, alienum legiſſe nobis videbimur, ſi nomen *Domitiani* hic deſideretur, quem res ipſa tam clare ante oculos noſtros ſiſtit, ut quaſi manibus palpari poſſit.

§. 23. Ex c. 5. profert Vir Clariſſimus Hiſtoriam de *Valeriano*, ubi primo illa verba, *impoſito pede ſuper dorſum ejus*, plane non *Lactantiana* eſſe putat; & citat pro ſua ſententia *Baudrium* (quem hic *laudibus in cœlum extollit*) qui non niſi in ſacro codice hujus locutionis exempla ſe inveniſſe teſtetur. Miror ſane hanc nimis ſeveram Virorum Clariſſimorum cenſuram; *dorſi* vocabulum optimum eſt, quo & *Horatius* *, & *Plautus*, † & multi alii ex præſtantiſſi-

* Nempe dorſo onus ſubire, legitur apud *Horatium* I. Sat. 9. 21.

† Plautus Mil. Glor. 2. 4. 44. Dorſum, (vel, ut ille amabat dicere) dorſus mihi prurit.

mis

mis Auctoribus claſſicis uſi ſunt. Phraſis ipſa nihil peregrini redolet, ut omnes vident. Altera difficultas (ſi quidem prior hoc nomine venire poteſt) a Viro Clariſſimo exinde deſumitur, quando de *Sapore*, *Perſarum Rege*, qui *Valerianum* in turpiſſimam ſervitutem redegerat, legitur: *illud verum eſſe dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent*. Hic dicit Vir Clar. nullum plane ſenſum eſſe verborum, *illud verum eſſe dicebat*, nec *Baudrium* eum adſequi potuiſſe; *quid ergo*, inquit, *alii minus docti, aut, qui animo non ita attento hunc librum legerunt?* Quaſi vero *Baudrius* fuiſſet *Dictator* Reipublicæ literariæ, omnemque ſolus devoraſſet eruditionem, ut de eo, quod ille non potuit aſſequi, aliis plane deſperandum eſſet. At vero alii Viri doctiſſimi facillimum plane horum verborum ſenſum aſſecuti ſunt; ita Præſtantiſſimus quondam ac Celeberrimus Angliæ Epiſcopus *Burnetus* egregie totum hunc locum ita reddidit: *For as oft as Sapores the King of Perſia, who took him, had occaſion either to mount on Horſeback, or to go into his Chariot, he made the Roman Emperour ſtoop down, that he might make his Back his Step to get up; and whereas the Romans had made ſome Repreſentations of the Perſians, being defeated by them, Sapores uſed to rally Valerian, and to tell him, that the poſture, in which he lay, was a more real Proof to ſhew, on whoſe ſide the Victory went, than all the Pictures, that the Romans could make.* Egregie etiam Vir eruditiſſimus, *Tillemontius*, qui ſane

ſane *Baudrio* doctrina nihil ceſſit, Gallica translatione, qua preſſius adhuc *Burneto* verborum contextum ſequitur, ita rem expreſſit. *Quand Sapor vouloit monter a Cheval, ou ſur ſon Char, il le faiſoit coucher a terre ſur le ventre, & lui mettoit le pie ſur le dos, ou ſur la tete, comme ſur un etrier, ajoutant avec un ris inſolent, que c'etoit la veritablement (triompher) & non peindre ſur les murailles des triomphes imaginaires, comme faiſoient les Romains.* Hæc plane eximie translata ſunt, &, uti dictum, adcuratius adhuc reſpondent *Cæcilii* verbis; conſtat quippe *Romanos* victorias Principum ſuorum in tabulis atque parietibus pingere ſolitos; & fortaſſe jam nonnulli ex iis ſpe credula, *Valeriani* contra Perſas Victoriam præcipientes, eam ita repræſentaverant; jam cum eventus longe aliud oſtenderit, *Sapores Valeriano* cum riſu exprobrabat, illud jam verum eſſe, (nempe ipſum in miſerrimam ſervitutem ab eo redactum, vel hoc eſſe vere triumphaſſe de inimicis, ſi hi, quemadmodum *Valerianus*, victoribus, equum aſcendentibus pro ſcabello pedum eſſent) non autem hoc pro victoria reputandum, quod Romani ſpe credula deluſi in parietibus vel tabulis pingere ſolerent. Sive ergo aliquid hiulci ſit in his verbis (quod utique librarii vitio facile fieri potuit) ita ut cum *Tillemontio* ſupplere velis, illud eſſe verum (triumphum) ſive verba, in eo, quem referunt, ſitu relinquantur (nec enim neceſſitas urget, ut aliquid mutetur) eodem ſubinde recidit ſenſus, nec quicquam hic a *Lactantio* alienum cernitur.

§. 24.

§. 24. Pergit Vir Clariſſimus ad cap. 9. ubi hæc *Coecilii* verba ipſum morantur: *Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora, poſtea enim, quam nomen Imperatoris accepit, exuto ſocero, tum demum furere cepit, & contemnere omnia; Diocles enim ante Imperium vocabatur.* Hic primo male ipſum habet particula *enim;* quippe quæ præter rem hic adpoſita legatur, an vero hoc tanti eſt, ut propterea liber *Lactantio* abjudicari debeat. Quid ſi enim illa in textum intruſa ſit; quale ſæpius accidiſſe vidimus; ita in ipſius *Lactantii* Inſt. Div. lib. III. cap. XIII. §. XIII. legitur: *ii, qui verum de anima ſentiebant; expertes enim hujus divinæ eruditionis, nec argumenta vera, quibus vincerent, attulerunt,* &c. quis non videt, particulam *enim* hic *Librarii* vitio redundare, an autem idcirco *Lactantius* non eſt Inſtitutionum Auctor? Cæterum ſi pro *enim* hic legas *autem,* ſenſus ſine dubio melius quadrabit. Majoris momenti eſt illa difficultas, quam eruit ex verbis, *Diocles enim ante Imperium dicebatur;* de qua quid ſentiam, breviter exponam. A ratione, ut arbitror, alienum non erit, ſi dicamus, ordinem verborum hic luxatum eſſe, atque hæc præſentia verba loco ſuo mota, huc ab imperito Librario adpoſita. At quo ergo erunt referenda; en meam conjecturam! Cap. XIX. hæc de *Diocletiano* verba leguntur: *Huic purpuram Diocletianus injecit ſuam, qua ſe exuit, & Diocles iterum factus eſt;* hic ſi colloces verba iſta: *Diocles enim ante Imperium vocabatur,* ſenſus erit longe aptiſſimus: ſi vero ma-

gis

gis placeat, ut in præſenti loco hæc verba remaneant, omnino ex verborum connexione oſtendi poteſt, adhuc ipſis rectum ſenſum conſtare, modo nonnulla verba, quæ a Librario omiſſa ſunt, (locus enim certe vel hiulcus eſt, vel luxatus) ſuppleantur. Nempe in antecedentibus de *Galerio Maximiano* dicitur, illum victoria a Perſis reportata ita elatum fuiſſe, *ut jam Cæſaris nomen detrectaret, ipſumque ita inſolentiſſime agere cœpiſſe, ut ex Marte ſe procreatum & videri & dici vellet, tanquam alterum Romulum.* Hic ſane optima occaſio fuit, *Maximianum* cum *Diocletiano* comparandi, qui cum ad Imperium perveniſſet, faſtu intumeſcens, noluit amplius *Diocles* vocari, ſed *Diocletiani nomen adſumſit.* Ergo ſenſus omnino adcuratus erit; ſi, paucis additis, verba ita legas: *Poſtea enim, quam nomen Imperatoris accepit, exuto ſocero, tum demum furere cœpit, & contemnere omnia,* Diocletiani in eo exemplum imitatus, qui & ipſe imperio ita inſoleſcebat, ut nomen ſuum mutaret; *Diocles enim ante imperium vocabatur.*

§. 25. In capite II. magnam porro obſcuritatem Vir Clariſſimus his *Cæcilii* verbis ineſſe putat: *Erat mater ejus Deorum montium cultrix mulier admodum ſuperſtitioſa. Quæ cum eſſet, dapibus ſacrificabat pene cotidie, ac vicariis ſuis epulis exhibebat.* Difficultatem, quam verba *Deorum montium* Interpretibus conciliarunt, præterit Vir Cl. proinde nihil attinet, eam hic examinare; quanquam ea nullo plane labore nobis conſtaret; quod ergo hic moratur

O Virum

Virum Cl. ſunt verba, *quæ cum eſſet*; at quis non videt, locum inepta Librarii diſtinctione, quod utique ſæpe accidit, turbatum? ſine ullo autem negotio locum ita corrigo; *Erat mater ejus Deorum montium cultrix.* Hic ergo ponendum eſt punctum. Poſtea lege: *Quæ cum eſſet mulier admodum ſuperſtitioſa, dapibus*,&c. & pro *epulis* lege *epulas.* An vero hæc verborum tranſpoſitio & levis depravatio tanti eſt, ut exinde argumentum contra *Lactantium*, hujus libri Auctorem, deſumi debeat? Minime vero! Idem enim vitium in aliis quam plurimis tam ſacris quam profanis Codicibus ſæpe deprehenditur; & in ipſius *Lactantii* Epitome c. 1. locus occurrit, qui pari modo ab imperito librario ita corruptus eſt. Verba hæc ſunt; *Non poteſt igitur, quod ratione conſtat, ſine ratione coepiſſe; quoniam certum eſt eſſe providentiam.* Et continuo incipit cap. II. initium. *Sequitur alia quæſtio* &c. Ad quem locum egregie & multo cum acumine annotavit Vir Doctiſſimus noſtrique amiciſſimus D. *Joannes Daviſius*, loci hujus ſenſum inepta diſtinctione turbatum; eum igitur ſic interpungendum cenſet: *ſine ratione coepiſſe.* Dein caput ſecundum. *Quoniam certum eſt, eſſe Providentiam, ſequitur alia quæſtio*, &c. Sunt quidem adhuc aliæ eæque longe difficiliores locorum tranſpoſitiones, quæ paſſim in Codices librariorum vitio irrepſere; Hanc vero ideo hic proponere volui, quia noſtrum *Lactantium* tangit. At ſi Clariſſimi *Nourrii* ratio ſequenda eſſet, epitome *Lactantii* alium habuiſſet Auctorem, quia

in

in iſta æque ac noſtro præſenti Codice verborum ordo turbatus conſpicitur.

§. 26. In eodem cap. 11. hæc verba leguntur. *Ergo habito inter ſe per totam hyemem conſilio . . . . . diu ſenex furori ejus repugnavit.* Ad hæc ita Cl. *Nourrius: Dic, quæſo, ad quos, putas, referuntur prima* Cœcilii *verba? Numquid ad* Galerii *matrem, de qua proxime locutus eſt? Minime. Nam de illa ibi non loquitur, ſed de* Galerio & Diocletiano, *de quo factum longe antea ſermonem omnino interruperat?* Verum non ita *longe antea*, ut putat Vir Cl. ſermonem de *Galerio* interruperat *Cæcilius;* nam, ut ſilentio prætercam, in fine antecedentis capitis mentionem *Galerii* factam; unica tantum interjecta linea, ante verba a Viro Cl. citata, de illo ſermo eſt; dum hæc de matre ejus refert Cœcilius: *Hinc concepit odium adverſus eos,* (Chriſtianos) *ac filium ſuum* (Galerium) *non minus ſuperſtitioſum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit;* & continuo poſt: *Ergo habito inter ſe, &c.* Sole ergo meridiano clarius apparet, Virum doctiſſimum (quod pace ipſius dixerim) textum non recte inſpexiſſe, dum illud *longe antea Cæcilio* opponit, qui tamen *proxime* ſermonem de *Galerio* finierat. Quod rem ipſam attinet, quam apte omnia hic cohæreant, facile judicabunt, qui initium hujus Capitis cum fine antecedentis conferre voluerint.

§. 27. Quod ex c. 14. producit Vir Clariſſimus, id ſicco pede prætereundum cenſeo, quia ad dubium, quod affert, ipſe ſibi reſpondet. In

verbis autem c. 24. *Cenſitores alii ſuper alios mittebantur* &c. deficit aliquid, ut quivis videt. Ergo poſt *duplicabatur*, dele, ſi placet, *ſemper*, & lege *cenſus*, vel *onus*, & facilis emerget verborum ſenſus; nempe hoc modo: *Cenſitores alii ſuper alios mittebantur, tanquam plura inventuri. Et duplicabatur Cenſus, illis non invenientibus, ſed, ut libuit, addentibus, ne fruſtra miſſi viderentur.* Hæc poſteriora verba totum ſenſum explicant; nempe cum miſeri iſti homines tot iniquiſſimis crudeliſſimi Imperatoris exactionibus exhauſti eſſent, ut oneri ferendo amplius pares non eſſent; Cenſitores tamen ab eo alii ſuper alios ad ipſos mittebantur, qui cum nihil apud afflictisſimos atque pauperrimos homines invenirent, nihilominus nova ſubinde onera ipſis imponebant, *ne fruſtra miſſi viderentur.* Male itaque Cl. *Nourrius*, dum iſta verba citavit, hæc poſteriora omiſit, ſcilicet ut objectioni ſuæ eo majorem ſpeciem conciliaret.

§. 28. Quod ex c. 40. adducit, a nobis minime attendi meretur, quia ipſe *uno addito vocabulo vel ipſe, vel ille, aut aliquo ſimili loci obſcuritatem* tolli poſſe, putat. Utinam in reliquis Codicibus, de quorum Auctoribus nemo dubitat, tam facilis medela omnibus mendis adhiberi poſſet. Interim id mirandum, quod in bonum *Coecilium* omnis culpa unice rejicitur a Viro Clariſſimo, & quod præſentem loci obſcuritatem inter ſuas contra *Lactantium demonſtrationes* refert, quæ tamen *uno addito vocabulo, vel ipſe, vel ille, tolli poteſt.*

§. 29.

§. 29. Progreditur Vir Cl. ad c. 42. ubi hæc ipſum verba morantur. *Eodemque tempore ſenis Maximiani ſtatuæ Conſtantini juſſu revellebantur, & imagines, cum quo pictus erat. Et quia ſenes ambo ſimul picti erant, & imagines ſimul deponebantur amborum.* Ad hæc Cl. *Nourrius: Nonne* Cœcilius *longe clarius & brevius omiſſis his verbis:* cum quo pictus erat, *ſcribere poterat: Eodem tempore* Diocletiani, *& Senis* Maximiani *ſtatuæ & imagines ſimul pictæ*, &c. *Hæc utique clara & perſpicua forent, & ab omnibus facile intelligerentur. Quid autem id propoſitæ ipſi brevitati officiebat?* Invita ſane *Minerva!* Primo manifeſtum eſt, verba, *cum quo*, librarii vitio in textum irrepſiſſe, & legi debere; *ubicunque*, quo obſervato ſenſus egregius erit, ut inſpicientibus patebit. Secundo Viri Clariſſimi correctio ex claro verborum ſenſu obſcurum facit. Nam verba, *ſtatuæ & imagines ſimul pictæ*, non cohærent, cum adjectum *ſimul pictæ*, utrique ſubſtantivorum non reſpondeat. Nec enim dicimus: *ſtatuæ pictæ.*

Incidit in ſcyllam, qui vult vitare charybdin!

Tertio mirandi cauſam nobis præbet, quod cum ſupra ſibi demonſtrandum propoſuerit, obſcuritatem *Coecilii* ex nimia atque affectata brevitate originem traxiſſe; jam vero in præſenti loco prolixitatis ipſum accuſat, & ex neglectu brevitatis vitium obſcuritatis deducit. Denique ſenſu caret, quod ait: *Quid autem id propoſitæ ipſi brevitati officiebat?* Nam ſi

 verba

verba antecedentia conſiderentur, idem eſt, ac ſi dixiſſet: ſi Cœcilius *clarius* & BREVIUS locutus fuiſſet, *quid id propoſitæ ipſi brevitati officiebat?*

§. 30. Hactenus nemo adhuc *aperte vidit,* Cœcilii *ſtylum* (ut ait Vir Cl.) *a* Lactantiano *plano, perſpicuo, dilucido eſſe prorſus alienum,* nunc ille ex ſuperfluo *aliud adhuc exemplum ſubjicit, quod vel unicum etiam* PERVICACIORIBUS *perſvadere poterit, hunc librum ea ſcribendi ratione eſſe compoſitum, ut* APERTE CLAMET *alium omnino, quam* Lactantium, *ſe habuiſſe parentem.* Videamus ergo nodum *Gordium.* Illum proponit ex cap. 18. ubi hæc verba leguntur: *His auditis ſenex langvidus, qui jam* Maximiani *literas acceperat, ſcribentis, quæcunque locutus fuiſſet,* &c. In his verbis nihil deprehendo, quod alienam a *Lactantio* latinitatem ſaperet. Videndum ergo nunc, an quid obſcuri lateat in illorum ſenſu. Et vero omnis difficultas, quam hic proponit Vir Cl. hæc eſt: *Quis, oro Te,* (inquit) *hic* Maximianus, *& quæ locutus erat? Non intelliges ſane, niſi animum ad ea reflectas, quæ ante dicta fuerant.* Conſentio. Sed quid hoc nocebit *Lactantio?* an unquam librum vidimus, quem intelligere quis potuiſſet, niſi ad antecedentia & conſequentia animum advertiſſet? Ejuſdem farinæ ſunt reliqua, quæ ex hoc capite adducit Vir Cl. exempla; nam ibi omnia verba recte ſe habent, ſenſumque dictorum facile perceperis, ſi modo ſcopus loquentis & verborum connexio probe attendantur; Quod cum in omni-

bus libris neceſſarium ſit, animo concipere vix poſſum, cur de his locis tantopere glorietur Vir Cl. eaque in terrorem quoque Pervicaciorum hic adducat, cum tamen ipſe ad ea tam facili negotio reſpondeat, omniſque quæ hic cernitur, difficultas potius in ipſis rebus, quam in verborum obſcuritate, conſiſtat. Nam cum de pluribus hic agatur Imperatoribus, circumſtantiæ totius Hiſtoriæ, quæ hic deſcribitur, conſiderandæ ſunt, quas qui perſpectas habuerit, verborum ſenſum atque nexum facile inveniet; prout videmus, Commentatores non modo pleroſque, ſed eos etiam, qui librum iſtum in alias verterunt linguas, *Lactantium* optime intellexiſſe, neque, in ejus explicatione a ſe mutuo diſſenſiſſe. Et ſi hoc ita eſſet, propterea non multo melior foret Viri Cl. conditio, ut ſupra oſtenſum.

§. 31. Objectiones, quas hic ſibi format Vir Cl. nos non morantur; cum hactenus ipſa argumenta, quibus ille ſuam adſtruit ſententiam, refutaverimus. Magis igitur ad rem præſentem pertinere arbitror, ut ad *quartum Articulum* p. 145. progrediar, ubi argumentis ex opinionibus *Lucii Cæcilii* petitis contra *Lactantium* diſputat; in quibus quantum ſit ponderis, breviter nunc erit diſpiciendum.

§. 32. Et vero, quod inſtitutum ipſum attinet, in eo recte & conformiter regulis Criticis procedere arbitror Virum Clariſſimum, quod hic *opiniones Cæcilii* tanquam fundamentum ponat, ex quo probari poſſit, num

ille liber ſit vere a *Lactantio* nec ne. Ea enim nobis videtur ſolida regula Critica, a Celeberrimo Viro, *Joanne Clerico* *, quoque prudenter annotata; Liber, in quo *dogmata leguntur iis contraria, quæ ſcriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe, ſi præſertim dogmata ſint alicujus momenti, aut interpolatus eſt.* Neque hic Canon tantum de *dogmatibus* valet, ſed de aliis quibuſcunque alicujus auctoris *opinionibus*, atque *ſententiis*; quibus ille † *conſtanter* deditus erat. Pluribus exemplis atque teſtimoniis hoc illuſtrari poſſet, ſed videamus, quomodo Vir Doctiſſimus ſuum inſtitutum tractet, & an exempla ab eo propoſita aliquid opinionibus *Lactantii* contrarium contineant?

§. 33. Primum, quod hic proponit, petitum eſt a perſona *Donati*, cui *Cæcilius* hunc ſuum librum inſcripſit; hic dicit Vir Cl. *ſatis ſe mirari non poſſe, qua ratione docti quidam Viri in mentem induxerint, hunc Donatum eſſe eundem, cui* Lactantius *ſuum de*

* Vid. Artem Criticam ed. Lond. p. 387.

† Non fruſtra hanc particulam a Viro doctiſſimo additam puto; fit enim ſæpiſſime, ut aliquis Auctor ſententiam mutet; idque non modo in rebus levioris, ſed majoris etiam momenti accidit, uti *Auguſtini* ſupra allato exemplo id oſtenditur. Tum ergo diverſæ opiniones non ſtatim diverſos Auctores produnt. Neque talis variatio ſubinde in vitio ponenda; ſententiam certe in melius mutare, nemini turpe fuit.

ira

ira Dei librum nuncupavit; quorum opinionem a vero eſſe alieniſſimam, exinde probare conatur, quia ille *Donatus*, ad quem liber *de ira* Dei ſcriptus, expreſſis verbis a *Lactantio* vocatur *Tyro*, *implicatus ſeculi negotiis, & Chriſtiana doctrina non ſatis imbutus.* Non poſſe ergo illum eſſe hunc *Donatum*, cui liber de mortibus perſecutorum inſcriptus, in quo ipſius fides, cujus durante perſecutione tam præclara ſpecimina ediderat, multis elogiis a *Cæcilio* ornatur. Primo vellem, ut Vir Cl. illa *expreſſa verba* de *Donato* ex ipſo *Lactantio* nobis citaſſet. In libro certe de *ira Dei* illa non inveniuntur. Secundo Tyrones quandoque in fide Chriſtiana ac juvenes etiam Martyrii coronam adepti ſunt. Tertio potuit noſter *Donatus* aliquando fuiſſe Tyro, & ſecularibus implicitus negotiis, & tamen poſtea in acerrimum Chriſtiani Nominis confeſſorem evadere, quo nomine hoc in loco inſignitur. Sed hic excipit Vir Clar. librum *de ira* anno 321. hunc vero *de mortibus perſecutorum* anno circiter 313. confectum. Primo nulla ratione hanc ſententiam probat; & remittit unice Lectorem ad diſſertationem *in petto*, ſi ita loqui licet; quod miror, quia in præſenti loco, tanquam omnium opportuniſſimo, ipſius plurimum intererat, ut ſententiam, in qua ſuæ cauſæ præſidium quærit, rationibus probaret. Nemini enim gratis creditur. Secundo demus poſteriorem eſſe *librum de ira* illo altero de *mortibus perſecutorum;* quid tum? nihil

enim

enim in utroque invenitur, quod non uni eidemque Donato attribui poſſit.

§. 34. Denique & illud notandum, ſi vel maxime duo diverſi eſſent *Donati*, ad quos iſti libri exarati erant, hoc tamen in præſenti controverſia *Lactantio* nihil præjudicare; annon enim unus idemque auctor potuit ad diverſas ejuſdem nominis perſonas ſcribere? nulla ſine dubio hic cernitur repugnantia. At dicit Vir Doctiſſimus, illos duos *Donatos* fuiſſe a ſe invicem *profeſſione & tempore* diſtinctos. Illud primo non probatum; & ſecundo ſi verum eſſet, nihil juvaret Clariſſimi *Nourrii* cauſam. Quæ enim, quæſo, contradictio eſt, ut unus auctor ad duas diverſas profeſſione perſonas ſcribat? Tertio ex collatione horum librorum *de ira Dei* & *de mortibus perſecutorum* nulla ſane profeſſionis diverſitas adparet; quin potius in utroque *Donatus* tanquam Homo religioni addictus oſtenditur. Hoc vero, nempe *temporis* diſcrimen, ipſa Viri Clar. ſententia manifeſte refutatur; concedit enim, uti ex dictis adparet, utrumque illum *Donatum Lactantii* ætatem attigiſſe; male igitur concludit Vir Clar. pag. 146. *Si duobus Donatis hi libri nuncupati ſunt, inde confici potius debet, duos eſſe planeque diverſos illorum Auctores.* Sed nego conſequentiam!

§. 35. Aliam rationem proponit Vir Clariſſimus, quod in hoc libro *Lactantius* nullum ex ſuis ſcriptis citarit, quod ipſi alias in more poſitum fuerit. Verum primo ex hac ratio-

ratione nihil rurſus conſequitur. Major vis eſt in hoc loco argumenti *affirmantis*, quam *negantis*; h. e. ſi Auctor ſcriptum aliquod tanquam ſuum citavit, illud ſine dubio pro authentico habendum; ſed non ſequitur; Auctor hoc ſuum ſcriptum in alio libro non citavit; ergo ſpurium eſt atque ſuppoſititium: mille enim inſtantias patitur hoc argumentum. Secundo quæro a Viro Clariſſimo; an *Lactantius* in omnibus ſuis ſcriptis citare conſueverit ſuos libros? an tantum in quibuſdam? illud vix poterit oſtendere; & hoc ipſum nihil juvabit. Denique ſupra pag. 144. ubi de *ſtyli convenientia* agebatur, hæc a Viro Clariſſimo annotata ſunt: *ut aliqua veriſimili ratione probetur, hunc librum eodem, quo vera* Lactantii *opera, ſcriptum eſſe ſtylo, notandæ procul dubio erant dictiones & locutiones, ita eidem* Lactantio *propriæ, ut ab ipſo ſolo, non autem ab aliis uſurpatæ fuerint.—— Quamvis etiam id demonſtraretur, tunc dici poſſet* ILLVD CASV ESSE FACTVM. Hæc verba ſubvertunt omnem auctoritatem, quæ ex ſtyli convenientia pro libro aliquo allegari poteſt; verum ſi ita audacter *vel maximam ſtyli convenientiam caſui* licuit adſcribere, ipſe nobis vitio non verterit Vir Clar. ſi dicamus, *caſu factum*, ut in hoc libro Lactantius nullum ex ſuis ſcriptis citaret. Et vero longe minori periculo hoc, quam illud, aſſeri, nemini dubium fore, exiſtimo.

§. 36. Quod ex ſententia *Cæcilii* de anno crucifixionis Chriſti contra *Lactantium* annotat, id ſolide diſcuſſit *Baluzius* in not. pag.

353.

353. 354. cujus rationes Vir Clar. non refutavit, ſed iis tantum conjecturas quaſdam oppoſuit; quas, quia jam ſatis longa eſt hæc diſquiſitio, Lectoris judicio atque examini relinquo. Hoc unum breviter dico; cum quæſtio valde ſit problematica, quo anno Chriſtus ſit natus & paſſus; ita, ut tot pene de hac re ſint ſententiæ, quot eruditorum ſcripta; mirum non eſſe, ſi quoad temporis circumſtantias in noſtro Codice aliqua relinquatur difficultas, ſufficit tamen, *Cæcilium* cum *Lactantio* conciliari poſſe, uti *Baluzius* id oſtendit.

§. 37. In paragr. ſequenti tria porro loca proponit, quæ *Lactantio* minime convenire putat; primo deſcriptionem de *Diocletiani* timiditate, animique imbecillitate, atque effœminata mollitie: ſecundo verba *Cæcilii* de *Conſtantino*: *qui colloquentibus imperatoribus erat præſens*: tertio denique circumſtantiam de faſcibus Imperii a *Diocletiano invito atque coacto depoſitis*. Hic ergo oſtendendum eſt Viro-Doctiſſimo, in his locis quicquam contineri a Lactantii opinionibus alienum. At quam rationem allegat? nullam plane. Duo priora ſimpliciter tanquam falſa ſupponit; tertium vero exemplum falſitatis arguit, quia illud plurimis iiſque coævis quoque Auctoribus contradicat. Sed primo hæc ratio non reſpondet inſtituto præſenti; nam probandum erat, hujus facti narrationem *Lactantio* ejuſque opinionibus adverſari; cujus probatio metuo ne Viro doctiſſimo

ctiſſimo paulo difficilior futura ſit. Secundo propoſita ratio omni plane fundamento deſtituitur; neque enim ſequitur: in deſcriptis depoſiti a *Diocletiano* Imperii circumſtantiis *Cæcilius* a plurimis aliis ſcriptoribus diſſentit; ergo liber hic non eſt a *Lactantio*. Multæ dari poſſent inſtantiæ, quibus hujus argumenti falſitas oſtenderetur; ſed hæc duo breviter attigiſſe ſufficiat. Primo illi ipſi Auctores, qui hic a *Cæcilio* diſſentiunt, nec ipſi inter ſe in omnibus hujus Hiſtoriæ circumſtantiis * conſentiunt; & hoc ipſum factum, quod Viro Clar. diſplicet, varie deſcribunt. Nimium ergo probat Viri Clariſſimi argumentum, quia ex illo ſequeretur, illis ipſis Auctoribus ſuos libros abjudicandos, quia in hac hiſtoria *unus ab altero diſſentit*. Secundo in quo Vir Cl. *Cæcilium* hic reprehendit, in eo ab aliis impenſe laudatur. Nempe illuſtris *Burnetus* in Præf. editionis Anglicanæ, *Antonius Pagius* in laudata jam ſupra Hiſtoria Critico-Chronologica Tom. I. p. 338. & *Baluzius* denique Auctori noſtro de hac narratione applaudunt, eaque multum lucis Hiſtoriæ præſenti affuſum, grato animo deprædicant.

§. 38. Ultima Viri Clariſſimi ratio habetur pagina 147. 148. *Neque porro*, inquit, *illud magis probabile videtur, quod* Cœcilius *tradidit, Chriſtianam Eccleſiam a* Domitiani *Imperatoris morte, uſque ad Decium, nullos paſſam*

* Vide omnino *Henrici Valeſii* Annot. ad *Euſebium* p. 770.

eſſe

eſſe gentilium inimicorum impetus. *Sed hæc aliaque plura ſuo loco, eoque opportuniore, examinabuntur.* Primo rurſus nulla hujus argumenti eſt connexio. An enim a *Lactantio* plane alienum eſt, ſententiam tueri minus probabilem? ita multi certe ſuis ſcriptis erunt defraudandi. Secundo ut hujus rationis aliqua vis eſſet, probare debuiſſet Vir Clariſſimus, in *Lactantii* libris diverſum quid a *Cæcilio* ſtatui; at vero nullibi hoc probat Vir Clariſſimus; neque in loco illo opportuniore, nempe pag. 208. ubi breviter tantum indicat, id, quod hic a *Cæcilio* dicitur, falſum eſſe, quod utique & in *Lactantium* cadere poteſt. Tertio ſi hunc locum cum aliis *Lactantii* ſcriptis conferamus, omnino illum cum iis conſentientem reperiemus. Nempe c. III. ait Auctor libri de mortibus Perſecutorum: *ſecutiſque temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani Imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa* &c. cum his egregie conſpirant, quæ Vir ſanctiſſimus ait lib. 7. Inſt. Div. ubi Conſtantinum ita alloquitur: *Quoniam unus ex omnibus extitiſti, qui præcipua virtutis & ſanctitatis exempla præberes, quibus antiquorum Principum gloriam, quos tamen fama* INTER BONOS *numerat, non modo æquares, ſed* &c. Hæc verba ſatis indicant, ea, quæ in noſtro codice leguntur, a *Lactantio* proficiſci potuiſſe, quia *Conſtantinum* cum antiquis Principibus comparans, famam de illis perhibere, ait, illos *bonos Principes* fuiſſe; credidit ergo

ſine

ſine dubio *Lactantius* Eccleſiam a *Domitiani* tempore uſque ad *Decium* longa quiete fruitam; & hoc ad locum vindicandum ſufficit. Nec enim quæritur, an ea, quæ hic dicuntur, vera ſint, nec ne? ſed an hic ſit verus dictorum ſenſus, & an ea ſententia Auctori conveniat? poſterius non attingit Vir Clar. ſed ex priori capite hic tantum diſputat, quo ipſo limites *Critici* longiſſime prætergreditur.

§. 39 Memini, me ſupra per inadvertentiam omiſiſſe examen objectionis, quam proponit Vir Clar. ex c. 10. ubi *Cæcilius* hoc inter *Diocletianum* & *Herculium* diſcrimen proponit: Hoc ſolum differebant, quod avari-" tia minori altero fuit plus, minori vero mi-" nus ſed plus timiditatis, plus vero animi non" ad benefaciendum, ſed male." Verba hæc depravata atque corrupta eſſe, ſtatuit *Baluzius*, cui adſtipulatur *Cuperus*, & *editor Oxonienſis;* nec ſane aliter ſentire poteſt, qui locum attente conſiderat. Cæterum non infeliciter illum reſtituere conatus eſt *Columbus* in not. ad h. l. quo brevitatis ſtudio lectorem remitto. Quicquid autem dicatur, ob locum aliquem depravatum, hic liber certe *Lactantio* denegari non poterit. Multis exemplis res illuſtrari poſſet; unum tantum pro ſpecimine vide, ſi placet, in art. Crit. ed. Lond. p. 76.

§. 40. Hæc ergo ſunt argumenta Clariſſ. *Nourrii*, quæ hactenus ea, qua fieri potuit, brevitate examinare, atque ad ea pro virili reſpondere aggreſſus ſum; quod quo ſucceſ-

ſu

ſu præſtiterim, Lectoris judicium eſto. Si jam, quæ hactenus dicta ſunt, paucis adhuc in compendium redigi debeant, ea huc redeunt. Nempe vidimus 1. Clariſſimum Virum citationem *Hieronymi*, *Lactantii* libro de mortibus Perſecutorum opponere, quæ tamen hujus argumentum includit; * ipſum loca manifeſto corrupta in præjudicium *Lactantii* rapere, quæ potius, ut ex ipſius teſtimonio oſtendimus, Librarii imperitiam, oſcitantiam atque ignorantiam arguunt. 3. nullam ab eo oſtenſam *Cæcilii* cum *Lactantii* opinionibus contradictionem, locaque ab eo adducta, plerumque ad rem non quadrare. 4. *πρῶτον ψεῦδος* Viri doctiſſimi eſſe, quod in examinandis *Lactantii* opinionibus, non quid ille ſenſerit, vel ſentire potuerit, ſed an res prolatæ veræ ſint, nec ne, inquirat; quod ipſum a natura artis Criticæ alienum, 5. Ipſum cum hanc diſputationem ordiretur, diverſis in locis promiſiſſe, ſe plane *demonſtraturum*, codicem hunc non eſſe *Lactantii*, in fine autem, cum omnia argumenta propoſuiſſet, dicere pag. 148. a ſe *evidenter demonſtratum, maximam profecto eſſe dubitandi rationem, utrum Cæcilius hujuſce libri Auctor idem ſit, atque Firmianus Lactantius.* Prius Vir Clar. non præſtitit; & hoc poſterius nulla demonſtratione indiguit. His omnibus

* Adde, quod ea, quæ Vir Clariſſimus ex titulo *Lucii Cæcilii* exponit, plures patiuntur inſtantias, ut ſuo loco oſtendimus.

de-

denique addendum, Virum Clariſſimum non ubique ſatis adcurate inſtitiſſe codici manuſcripto, atque verba, quæ in eo optimum ſenſum habent, quandoque male immutaſſe. Exemplum ejus Lectori propono ex ipſo ab eo allato Specimine: nam in codice manuſcripto legitur, & eundem judicem (vindicem) digna ſupplicia impiis & perſecutoribus inrogare, at ille pro *judicem* reddit *mortem* & pro *ſupplicia* legit *ſuperbis*; hoc modo: & *eundem mortem digna ultione ſuperbis & impiis ac perſecutoribus inrogare.* Quanto autem rectius codex manuſcriptus!

§. 41. Cæterum ea a me diſputata nolim amicitiæ, qua Vir doctiſſimus me dignatur, vel pretio libri ejus præſtantiſſimi fraudi ſint. Quemadmodum Vir clariſſimus in fine art. IV. fatetur, *multum deberi iis, qui hunc Codicem de mortibus Perſecutorum ex denſiſſimis tenebris eruerunt, quia multa in eo continentur, ab aliis prætermiſſa, vel quibus illorum opiniones confirmentur:* ita ego lubens profiteor, credoque me plurimos alios conſentientes habiturum, multum deberi clariſſimo *Nourrio*, quod ille hunc codicem denuo diſcutiendum ſibi ſumſit, multaque loca, ab aliis prætermiſſa, doctiſſimis annotationibus illuſtravit. Atque ego inprimis eo nomine gratias ipſi habeo, qui non modo ita occaſionem nactus ſum, materiam hanc meo quodam privato commodo ulterius examinandi, ſed multa etiam ex ejus annotationibus didici, quæ antea ignoraveram.

CAP. V.

De Fontibus Hiſtoriæ literariæ diſſeritur propoſito exemplo antiquitatis Eccleſiaſticæ.

§. I.

Cum ſupra de Hiſtoria literaria agerem, in illo inprimis occupabar, ut, quid in libris æſtimandis dijudicandiſque maxime ſit attendendum, indicarem; nunc ſpeciminis loco in ſolo antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudio (neque enim in plura hic excurrere, inſtituti ratio patitur) oſtendam, ex quibus fontibus illius cognitio hauriri poſſit; quod utinam pro materiæ dignitate uberius mihi exponere liceret; ſed cum limites jam figendi ſint noſtræ diſſertationi, paucis paragraphis, quæ ad rem pertinere mihi videntur, indicabo.

§. 2. Primo, cum certum ſit, ſtatum Eccleſiæ pro diverſitate Imperii varie mutaſſe, illud a cultore Antiquitatis Eccleſiaſticæ maxime attendi velim, ut, antequam huc animum convertat, Hiſtoriam Romanam exactiſſime memoria complectatur. Pertinet huc inprimis Hiſtoria Imperatorum Romanorum, quorum cognitio quanti ſit ad rem præſentem momenti, vel ſolus *Lactantii* noſtri *de mortibus Perſecutorum liber*, ſatis demonſtrat. Fontes, ex quibus illa potiſſimum hauriri poteſt, ſunt ſcripta *Cornelii Taciti*, *Suetonii*, *Herodiani*,

rodiani, *Dionis Caſſii*, *Lampridii*, *Vopiſci*, *Aurelii Victoris*, *Eutropii*, *Oroſii*, *Zoſimi*, &c. quorum Auctorum præſtantiores editiones indicare in promptu foret, ſi locus id pateretur. Syſtema vero Hiſtoriæ Romanæ optimum exhibet *Ecchardus* in libro de ea Anglice conſcripto. Sed nondum hic gradus ſiſtendus; nam porro huc pertinet tota Antiquitas tum *Romana* tum *Græca*; illius ſyſtema integrum ſiſtit *Grævius* in *Theſauro Antiquitatum Romanarum*, & compendium *Kennetus* Anglice ſcripſit ediditque Londini A. 1696. Hanc vero egregie pertractavit Vir Illuſtris atque Reverendiſſimus D. *Potterus Epiſcopus Oxonienſis* longe celeberrimus; cui & pro ſingulari ante aliquot menſes mihi exhibita benevolentia atque humanitate publicas eaſque ſummas gratias perſolvo. Is edidit Antiquitates Græcas 2. Vol. comprehenſas, quæ jam diverſis vicibus denuo imprimi cœperunt. Atque iſta quidem ſubſidia propterea etiam Lectori commendari merentur, quia in iis fontes ipſi, ex quibus hæc ſcientia hauriri poteſt, ſubinde indicantur. Nec vero Antiquitas *fabuloſa* inſuper habenda; quia & illa ad ſtudium Antiquitatis Eccl. plurimum conducit. Oſtendit id vel ſola *Lactantii Inſtitutionum* Epitome, in qua ſubinde mentio fit fabularum gentilium, ex quibus & totam religionem Ethnicam refutat. Illuſtri porro exemplo id probat celeberrimus *Montfauconius* in Præf. * Antiquitatis *Græcæ & Romanæ ex-*

* Exemplum in citata Præf. *Montfauconius* his ver-

plicatæ, qui liber & in hanc rem commendari meretur. Fontes autem fabuloſæ antiquitatis inveniuntur in *Homeri Iliade* & *Odyſſea*, & *Ovidii Metamorphoſi*, quos libros quaſi Poetarum Biblia vocaveris.

§. 3. Sed quemadmodum infiniti negotii res foret, tot tantoſque rerum eventus, ſive veros, ſive fabuloſos memoria comprehendere, niſi quibuſdam ſubſidiis ea juvaretur; hinc porro notandum, cum ſtudio antiquitatis tam ſacræ quam profanæ neceſſario conjungi debere *Chronologiam* & *Geographiam*, quæ quaſi duo Hiſtoriæ oculi dici merentur. Et vero *Chronologiæ* ſtudium multis ſterile, horridum, atque formidulosum videtur; verum uſus ejus eſt inſignis, & jucunditas ſumma, modo recte tractetur. Neque enim neceſſarium eſt, ut omnibus minutiſſimis temporum circumſtantiis memoria fatigetur; ſufficit præcipuas epochas

"bis recenſet: Georgius Nazianzenus orat. contr. Julianum ait: Apoſtatam ſibi atque Baſilio amico Cyclopicum munus reſervaſſe, id quo pacto intelligas? niſi legeris Homeri locum odyſſ. IX. ubi Polyphemus Cyclops, poſtquam vinum ab Ulyſſe ſibi oblatum ebiberat, potus ſuavitate oblectatus, hoſpitale ſe ipſi munus daturum pollicitus eſt, & quod illud eſſet munus aperiens ſic loquitur:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι
Τὰς δ᾽ ἄλλους πρόσθεν· τόδε τοι ξεινήιον ἔςαι.

"Hoc poſtea in proverbium abiit; ſi quis enim Tyrannus carnificinam exercens aliquos extremos necandos reſervarat, iis Cyclopicum munus parare dicebatur. Hactenus Montfauconius.

mente

mente complecti; ut ſcias, in quas claſſes omnia referenda ſint. Sine chronologia certe Hiſtoriæ cognitio vel nulla datur, vel non niſi confuſiſſima. In ea commendatione digna ſunt ſcripta *Scaligeri*, *Petavii*, *Beveregii*, *Pagii*, *Dodwelli*, quæ in omnium manibus verſantur. *Geographiæ* autem notitia quam ſit neceſſaria, res ipſa loquitur; eaque deſtitutus, qui Hiſtoriæ operam navare aggreditur, mihi ſimilis videtur homini, qui in regionem aliquam peregrinam ſine duce & comite proficiſcitur, & viæ ignarus modo hic modo illic oberrat, nec invenit, quo ſe vertere debeat. Et tamen vidimus, hoc ſtudium præſtantiſſimum a quamplurimis etiam literati ordinis Viris nauci haberi, & tanquam rem longe infra ipſos poſitam contemni: quibus me breviter verbis* *Hieronymi* reſpondere poſſe exiſtimo: *Non ſunt contemnenda quaſi parva, ſine quibus magna conſiſtere non poſſunt.* In Geographia *antiqua* commendari merentur *Cellarius*, *Cluverius* &c. in *Eccleſiaſtica*, *Carolus a S. Paulo*, in *univerſali*, *Varenius*.

§. 4. Notum eſt præterea, linguas eſſe ſcientiarum claves; harum ergo cognitio, *Latinæ* præcipue & *Græcæ*, ad ſtudium Antiquitatis Eccleſiaſticæ requiritur. De illa non eſt dubium; hujus vero neceſſitas multis rationibus, exemplis, ac teſtimoniis oſtendi poſſet, ſi brevitas inſtituti id pateretur. Quid multa? ipſo damno, triſti certe magiſtro, plures hanc

* Vid. Ep. 89.

veritatem edocti ſunt. Quantum nocuit *Baronio*, quod annales ſuos potius ex verſionibus aliorum, quam Græcis fontibus hauſit? Quam male plures reddiderint *Euſebium*, quia ſufficienti Græcæ linguæ notitia deſtituti erant, oſtendit *Valeſius* in Præf. editioni ejus præmiſſa; & quantam in reddendo *Origine* linguæ Græcæ ignorationem prodiderit *Joachimus Perionius*, docet celeberrimus *Huetius* in Præf. ad *Origeniana*. Oppido ergo falluntur illi, qui, in erudito, Theologo inprimis, non majorem Græcæ linguæ notitiam requiri putant, quam qualis ad legendum N. T. ſufficit; quaſi vero hic mediocri tantum Græcæ linguæ cognitione res confici poſſet, & præterea nihil aliud ad Theologicam eruditionem requireretur.

§. 5. Ea, quæ hactenus dicta ſunt, ſtudium Antiquitatis Eccleſiaſticæ præcedere debent. Ad ipſum vero conſtituendum ea omnia concurrunt, quæ *Eccleſiam* quocunque modo reſpiciunt; quæ licet latiſſime pateant, potiora tamen ex iis huc redeunt. Nimirum conſiderare opportet Eccleſiæ *doctrinam*, *cultum*, *diſciplinam* atque *Regimen*, *Fata*.

§. 6. Quanti ſit monenti, Doctrinæ Chriſtianæ initia, progreſſus, ac mirificam ejus in hunc uſque diem conſervationem ex annalibus Eccleſiaſticis perſpecta habere, nemo prudens rerum arbiter inficias ibit. Religio Chriſtiana, qua nihil homini a Deo ſanctius, nihil pretioſius datum eſt; Providentia Divina, quæ in conſervando hoc cœleſti depoſito tam mirifice vigilavit: dignitas & præſtantia rerum, quæ nobis

nobis hic traduntur, & quarum ſumma in eo conſiſtit, ut Deum recte cognoſcere, & ipſum digno modo colere diſcamus: promiſſionum præſtantia, quæ cum ea connexæ ſunt, quæque æternam felicitatem pro fine habent, ſine cujus ſpe mortalium miſerrimi eſſemus, hæc omnia ſatis demonſtrant, nihil magis arduum, nihilque nobilius poſſe occupare curas noſtras, quam ut Chriſtianæ doctrinæ ſeriem attentis oculis contemplemur, quæ primum a Chriſto & Apoſtolis ore prolata, *poſtea* (verba ſunt Irenæi) *per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradita eſt, fundamentum & columna fidei noſtræ futura.*

§. 7. Accedit alia non minoris momenti ratio, quæ nos, qui Dei gratia ab erroribus Papiſmi liberati ſumus, inprimis reſpicit. Conſtat nimirum, a Pontificiis ſubinde nobis Proteſtantibus (quo nomine mihi eos comprehendere liceat, qui Reformationis beneficio e Papiſmo exierunt) idem objici, quod gentiles olim primitivis Chriſtianis falſo exprobrabant, noſtram Religionem *novam* eſſe, & ex humano cerebro in his extremis temporibus ortam. Quam calumniam Divini Reformatores, quorum ſcripta cedro digna tam chara ſunt nobis, quam inviſa adverſariis,* non modo refutare,

* Nempe jam ſupra vidimus, in quam claſſem referantur, quoque titulo ſalutentur Proteſtantium ſcripta in Pontificiorum Bibliothecis; Felices vero illos cum *Paulo!* qui etiam Hæreſeos poſtulabatur, licet nihil aliud docuiſſet, *niſi quod ſcriptum erat in libris Moſis & Prophetarum.* Act. c. 24.

 ſed

ſed in ipſam Romanam Eccleſiam optimo jure retorquere viſi ſunt. In quo & ipſorum veſtigiis præclare multoque cum ſucceſſu inſtiterunt Viri de Eccleſia Evangelica immortaliter meriti, quales fuere inter alios, *Centuriatores Magdeburgici*, quos celeberrimus quondam Theologus *Wirtembergicus*, *Lucas Oſiander*, in compendium redegit. Inprimis etiam huc pertinent duo præſtantiſſimi Theologi, *Joh. Juellus*, Epiſcopus quondam *Sarisburienſis*, & *Jacobus Uſſerius*, Epiſcopus Armachanus, quorum ille doctrinæ propagationem uſque *ad ſeculum ſextum*, hic uſque ad tempora *Waldenſium* atque *Albigenſium* multo cum ſucceſſu perduxit.

§. 8. Conſtat præterea, fuiſſe ſuperiori ſeculo celebris inter Pontificios nominis, & illuſtris ordinis virum, qui editis ſcriptis Proteſtantes denuo in aciem provocavit, *Boſſuetum* intelligo, Epiſcopum quondam *Condomenſem* primo, poſtea *Meldenſem*. Is inter alia ſcripta duos diverſi inſtituti libros edidit; *Expoſitionem* fidei, & *Hiſtoriam de variationibus Eccleſiæ*; ille ad *demulcendos*, vel potius *decipiendos* Proteſtantes, hic ad eos *confundendos* ab eo ſcriptus videbatur. Sed in neutro finem ſuum obtinuit Vir illuſtris: fuerunt quippe ex Proteſtantibus Viri ſummi, & tanto Adverſario non pares modo, ſed longe etiam ſuperiores, qui acie literaria cum ipſo dimicantes, victoriæ laureas ab eo reportarunt. Atque *expoſitionem fidei* quidem quod attinet, eam ſolidiſſime refutavit præſens illuſtriſſimus atque

reve-

reverendiſſimus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, WAKIUS, cujus liber Anglice ſcriptus prodiit Londini Ann. 1686. * eique utilis admodum Præfatio a Viro illuſtriſſimo præfixa eſt, in qua omnia plane arcana, quæ ad Hiſtoriam *Expoſitionis fidei* pertinent, quæque nuſpiam alibi tam dilucide expoſita inveneris, lectori communicantur. *Variationes Eccleſiæ* plures refutare aggreſſi ſunt; inter quos inprimis numerandus præſtantiſſimus Theologus Hagienſis, D. *Jacobus Baſnagius*, in Hiſtoria Eccleſiaſtica *Gallice* edita *Roter.* A. 1699. Fando etiam accepi, Celeberrimum Theologum atque Cancellarium Tubingenſem, D. *Chriſtophorum Matthæum Pfaffium*, ante aliquod tempus Diſſertationum ſyntagma contra eundem *Boſſuetum* ſcripſiſſe; quas mihi nondum videre contigit. Inſtituti ratio non patitur, ut plures, qui Proteſtantium doctrinam contra Pontificios vindicarunt, hic indicem; diſputationem vero *Claudii* cum *Arnaldo* in materia de *Euchariſtia*, atque ſcripta tum temporis utrinque edita videbis apud *Bælium* in Dictionario ſub nomine *Claudii*.

§. 9. Inter fontes ex quibus origo Doctrinæ Chriſtianæ haurienda eſt, non niſi unum *pri-*

* Titulus libri eſt: *an expoſition of the Doctrine of the Church of* England *in the ſeveral Articles propoſed by Monſieur de* Meaux, *late Biſhop of* Condom, *in his Expoſition of the Doctrine of the Catholick Church.* In eodem libro p. 127. habetur elegantiſſima tractatio Hiſtorico Dogmatica de *Epiſtola Chryſoſtomi ad Cæſarium*, de qua jam ſupra verba feci.

marium agnoſco, nempe ſacram Scripturam; omnia reliqua ſcripta, quæcunque tandem ſint, non niſi pro *rivulis* haberi debent; in quibus tantum eſt ſalubritatis, quantum a primo ſuo fonte acceperunt. Huc potiſſimum ſpectant ſcripta *Patrum*, *Concilia*, *Liturgiæ*; ex quibus non modo Hiſtoriam dogmaticam, ſed ea etiam, quæ ad *cultum*, *ritus*, atque *diſciplinam regimenque Eccleſiaſticum* pertinent, addiſcere licet. Præſtantiores Patrum editiones ſine dubio *Monachis Benedictinis* acceptæ ſunt referendæ; licet enim non omnes æquali ſucceſſu in hoc ſtudio verſari videantur, induſtriæ tamen atque candoris laus omnibus ex æquo debetur, atque optandum eſſet, ut Eccleſia Romana plures illorum ſimiles haberet. At quot dantur ignavi fuci inter Monachos, qui nihil aliud ſunt, quam numerus,

- - - - *fruges conſumere nati.*

Non vacat autem Benedictinorum Editiones hic enarrare; maxime cum illæ omnibus notiſſimæ ſint, earumque exactum catalogum exhibeat *Fabricius* in Bibl. Lat. & Gr. in locis, ubi de *Patribus* agit. Solius tamen *Montfauconii* edita ſcripta poſtea commemorabo.

§. 10. Conciliorum vero, ut arbitror, editio præſtantiſſima eſt *Labbeo-Coſſartiana*, quæ prodiit Par. An. 1672. *Harduini* Conciliis Anno 1715. editis nocuit *Hiſtoria Conſtitutionis*, quæ in ultimo Tomo conſpicitur.

§. 11. Argumentum de Liturgiis a pluribus pertractatum eſt. Ac de *Latinis* quidem ex inſtituto egit Cardinal *Bona*, de *Græcis* vero *Hat-*

bertus,

bertus, aliique. Eccleſiæ Gallicanæ Liturgiam explicavit *Mabillonius*; Anglicanam vero, illi infinitis paraſangis præferendam, pulcherrimo Commentario illuſtravit *Niccholſius*, qui prodiit *Londini* An. 1712. Plura de Liturgiis qui deſiderat, adeat velim diſſertationem celeberrimi *C. M. Pfaffii* de *Conſecratione V. Euchariſtica*, in qua non modo multa huc pertinentia, ſpeciatim quod materiam de ſacra Cœna attinet, ſolide explicantur, ſed inſimul quoque pag. 386, 387. Auctores plures, qui hanc materiam pertractarunt, indicantur. Idem quoque Tubingæ diſſertationes de eodem argumento edidit, quæ, ut & reliqua Viri eruditiſſimi ſcripta, utinam in plurium manibus verſarentur! Cæterum jam ſupra quoque indicavi, D. *Covelium* ſtatum Eccleſiæ Græcæ brevi editurum, ubi & plura, quæ ad Liturgias pertinent, explicabuntur.

§. 12. Cognoſcitur quoque Eccleſiæ doctrina ex *Symbolis*, quæ ex prima ſua inſtitutione nihil aliud ſunt, quam teſſeræ, quibus olim Chriſtiani ab infidelibus diſtinguebantur. De tribus Symbolis inter alios egit *Voſſius*, cujus diſſertatio prodiit *Amſt*. An. 1642, *De Symbolo Apoſtolico* legi merentur *Uſſerius*, *Pearſon*, &c. Et paucis abhinc diebus *Londini* prodiit *Expoſition of St*. Athanaſius's *Creed according to the Scripture and the Church of England*.

§. 13. Doctrinæ Chriſtianæ oppoſiti ſunt *Errores* atque *hæreſes*, hinc earum quoque tractatio ad Antiquitatem Eccleſ. pertinet. Et vero longe facilius eſt dicere, quid ſit Hære-

ſis,

ſis, quam quis ſit Hæreticus. Egregie ſane *Juellus* in Apol. Eccl. Ang. p. 30. Oxon. 1639. *Nam quod nos appellant* (Pontificii) *Hæreticos, eſt illud crimen ita grave, ut, niſi videatur, niſi palpetur, niſi manibus, digitiſque teneatur, credi facile de homine Chriſtiano non debeat. Eſt enim hæreſis deſtitutio ſalutis, abjectio gratiæ Dei, diſceſſio a corpore & Spiritu Chriſti.* Dictitat certe prudentia, charitas, ac moderatio Theologica, ut Hæretici titulo parce utaris, neque alios temere, ob quaſcunque diverſas opiniones illo oneres. Verum de hoc non eſt hic prolixius agendi locus. Syſtema Hæreſium perfectum atque adcuratum nullum habemus; & fruſtra etiam tale expectari, credo. Ex Patribus Hæreſes ſui temporis refutavit *Irenæus*, de quo *Eraſmus* ita judicat: *Spirant illius ſcripta priſcum illum Evangelii vigorem, ac phraſis arguit pectus* Martyrio paratum. Plures etiam alii ex Patribus contra Hæreſes ſuorum temporum ſcribere viſi ſunt; ubi tamen illud non diſſimulandum, quod nonnulli quandoque fervore diſputationis abrepti, unum errorem refutando, in alterum ejus extremum delapſi ſint; quod *Cypriano* æque ac *Stephano* in materia de Baptiſmo Hæreticorum, & *Auguſtino* in diſputatione de Gratia, Prædeſtinatione, atque libero arbitrio evenit. Cæterum ex recentioribus de Hæreſibus egere *Ittigius*, qui Hæreſes ævi Apoſtolici ſolida diſſertatione complexus eſt. Catalogos Hæreticorum edidere *Schlüſſelburgius*, *Pontanus*, aliique. Nec ſilentio prætereundus *Arnoldus*, qui Germanice ſcri-

ſcripſit Hiſtoriam Hæreticorum, quæ licet pluribus ſuſpecta ſit, id tamen cum eo negare nec volo nec poſſum, in catalogo Hæreticorum quandoque *entia præter neceſſitatem multiplicari.* Doctrinam ſequitur *Cultus.* Quippe duas præſtantiſſimas mentis facultates nobis dedit Deus, *intellectum* & *voluntatem*; illum, ut ipſum cognoſcamus: hanc, ut ipſum amemus, eoque æternum fruamur. Fundamentum veræ devotionis a cultu *interno* repetitur, quem *externus* pone ſequitur. Neuter ab altero ſeparandus; quia uterque a Deo præceptus; atque hoc etiam Eccleſiæ unionis vinculo invicem conjunguntur. Ex quo & de *Liturgiarum* præſtantia judicandum. Pertinent itaque ad cultum Eccleſiæ *Liturgiæ*, *Hymni*, *ritus*, *Feſta* &c. de primis jam dictum, atque de ceteris uberrimos fontes aperit Clariſſimus *Fabricius* in Bibliotheca Antiquaria, quæ omnino conſuli meretur. Breviter modo illud annoto, quod Auctores Pontificii, uti *Durandus*, *Albaſpinæus*, & horum ſimiles, qui de his rebus egerunt, cum grano ſalis legendi ſint; quia illi multa ex corruptiſſimis lacunis, nimirum ex *Decretalibus Gratiani* & *ſuppoſititiis Pontificum Epiſtolis* hauſerunt; atque ubique etiam id agunt, ut Eccleſiæ Romanæ ſpeciem Antiquitatis concilient, quo fit, ut multa ex hac ſilentio prætereant, quæ ipſis contraria videntur, nonnulla etiam aliter, quam revera ſe habent, recenſeant, quod, ſi eo excurrere liceret, exemplis probare facile poſſem.

§. 14.

§. 14. De diſciplina Eccleſiaſtica legi merentur Diſſertationes *Dupinii*, Pariſiis editæ. De Regimine Eccleſiaſtico nemo melius ſcripſit Auctore Anglo, *Hookero;* cui adde ex Gallis *Richerium*, de Poteſtate Eccleſiaſtica, qui liber fuit pomum Eridos, quod plurimas ipſi lites atque turbas peperit, ut conſtat.

§. 15. *Fata Eccleſiæ* latiſſime patent; huc vero inprimis pertinent Perſecutiones, quas illa ſæpius ſuſtinere viſa eſt. Legi hic poteſt *Meiſnerus* de Perſecutionibus & Martyriis Chriſtianorum veterum, quod idem argumentum quoque tractarunt *Beda*, *Kortholdus*, *Gallonius*, *Caveus*, aliique.

§. 16. Syſtemata Eccleſiaſtica ſunt vel *antiqua* vel *nova*, inter illa refertur Hiſtoria Eccleſiaſtica *Euſebii*, cujus & Demonſtratio Evangelica Antiquitatis theſaurum præbet. Hunc excipiunt *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*; & hos ordine ſequuntur *Philoſtorgius*, *Evagrius*, *Theod.* Lector, *Hiſtoria Tripartita*, ex *Sozomeno*, *Socrate* & *Theodoreto*, collecta. Inter recentiora locum habent *Baronii* annales, qui abeunt uſque ad An. 1618 continuati ab *Abrahamo Bzovio*, *Rainaldo*, *Spondano*; & ad examen revocati ex Proteſtantibus a *Caſaubono* & *Montacutio*, ex Pontificiis, ab *Antonio Pagio*, qui quidem tantum ea, quæ ad Chronologiam potiſſimum ſpectant, tractavit. Inter compendia *Friderici Spanhemii Hiſtoria Eccleſiaſtica* commendari meretur, quæ prodiit cum ejus opp. *Lugd. Bat.* Anno 1701. Eſt etiam in Patria mea *Würtenbergica* Vir Doctiſſimus,

D. *Weiſ-*

D. *Weiſmannus*, qui ante aliquot annos Hiſtoriam Eccleſiaſticam N. T. duobus Tomis in quarto complexus eſt, cujus editio præſtantioribus hodie accenſetur. Catalogos Eccleſiaſticos de Viris illuſtribus edidere *Hieronymus*, *Gennadius*, *Photius*, *Trithemius*, *Miræus*. His adde Bibliothecam Eccleſiaſticam D. *Fabricii*, quem jam de re literaria immortaliter meritum, nemo eſt, qui neſciat. Inter Lexica Eccleſiaſtica eminet illud, quod a *Suicero* editum eſt, cui & *Arndianum* jungi meretur.

§. 17. Ex his ergo fontibus jam multum cognitionis de Antiquitate Eccleſiaſtica hauriri poterit; quibus adhuc adde *Cavei Primitivum Chriſtianiſmum*, item *vitas Apoſtolorum & Patrum ab eo editas; Binghami Origines Eccleſiaſticas*, quæ perfectum totius Antiquitatis ſyſtema exhibent, *Heineccii Antiquitates Eccleſiaſticas* &c. *Gallorum* vero, qui in Antiquitate Eccleſiaſtica excelluere, jam ſupra nonnullos indicavi; & Bibliothecas quoque, quæ in hoc ſtudio *Pariſiis* cum fructu adiri poſſunt, annotavi.

§. 18. Denique nec ſcripta Philoſophorum antiquorum, eorum maxime, qui ex *Schola Platonis* prodiere, inſuper habenda, cujus ratio facile exinde colligitur, quia multi ex Eccleſiæ Patribus, uti *Juſtinus Martyr*, *Clemens Alexandrinus*, & alii, talia in ſuis libris admiſcuere, quæ ex illis lacunis hauſta erant. Juvabit etiam legere ſcripta gentilium, qui primitivis N. T. temporibus floruere; quales fuere, *Plinius*; *Porphyrius*, *Ammianus Mar-*

cellinus. Horum enim teſtimonia non modo Antiquitati Eccleſiaſticæ lucem affundunt, ſed & ipſam Religionem Chriſtianam in multis confirmant. Oſtendit id ante aliquot annos Doctiſſimus Jeſuita *Lugdunenſis* in Gallia, *Colonia* dictus, in libro: *La verité de la Religion Chreſtienne prouvée par les temoignages des Payens.* Sed videant modo ipſi Pontificii, ne cum Chriſtiana Religione fermentum alienum miſceant, ſpeciatim vero Jeſuitæ valere jubeant ſuum *Confucium*, quia illi cum Chriſto nulla poteſt eſſe communio.

CAP. VI.

De Bibliothecariis aliiſque Eruditis Pariſienſibus.

§. I.

CUM ſupra de Bibliothecis Pariſienſibus agerem: earum præfectos ſubinde quoque indicavi, ut vero uno quaſi oculi intutu omnes lectori ſiſtantur, ipſorum nomina, uno paragrapho comprehenſa, ei hic exhibebo. Bibliothecæ Regiæ Director eſt, Illuſtris Abbas, BIGNONIUS, cujus merita atque laudes ſupra deprædicavi. Reliqui hujus Bibliothecæ cuſtodes ſunt Dn. *Boivinius*, & Dn. *Tarnie.* Præfecti Bibliothecæ *San-Germanenſis* ſunt Dn. *La Prade* & Dn. *Bouquet. Mazarinianæ* Dn. *Qui-*

Quinaut, Doctor *Sorbonicus*. Bibl. *S. Genoveſæ* Dom. *Courayerius*. Collegii *Ludoviciani*, *P. Thoubeau*. *Domus Profeſſæ*, *P. Tournemine*, cujus mentionem ſupra omiſi. *Patrum Oratorii* in via *Honorati*, *P. Le Long*. Ordinis *Prædicatorum* in eadem via *P. Le Quien*. *Auguſtinianorum Diſcalceatorum P. Euſtachius*. *Cæleſtinorum P. Becquetus*. Nomina Præfectorum BB. *Colbertinæ*, *Canonicorum S. Victoris*, *Minimorum*, abs me ignorantur.

§. 2. Singuli ex hiſce laudatis Viris eo, quo funguntur, munere præclare & illuſtri cum ſucceſſu funguntur; atque ego etiam plurimis ex iis pro favore atque amicitia, qua me Pariſiis dignati ſunt, publicas gratias ago. Quod quidem & ſupra jam aliquoties me feciſſe memini; juvat autem ſpeciatim repetere memoriam Viri Clar. atque Doctiſſimi Dn. *Quinoti Præfecti Bibliothecæ Mazarinianæ*, de quo Viro id expertus teſtor, ipſum ſingulari humanitate literatos, atque inter hos peregrinantes etiam excipere, eorumque commodis inſerviendi ſtudio longe maximo teneri. Quod idem & de ſuaviſſimi ingenii Viro, *P. Le Long*, & reliquis quibusdam, luculentiſſimis documentis compertum, oſtendi.

§. 3. Poſt Bibliothecarios de aliis Eruditis Pariſienſibus diſſerere liceat. Hos vero omnes laudare ſi vellem, limites hujus libri longiſſime excederem. Cum ergo brevitati ſtudendum ſit, nonnullas tantum in gratiam peregrinantium inprimis, diſciplinas percurram, atque Viros præſtantiores, qui in iis excellunt, tribus,

quod ajunt, verbis, indicabo. Ac primo quidem a linguis exordiar, *Latina* nimirum, *Græca*, atque *Orientalibus*. In illa vix quisquam Pariſiis ſuperat *Poiretum Jeſuitam*, qui in Collegio *Ludoviciano* habitat, atque egregiis jam editis orationibus inſignem hujus linguæ peritiam oſtendit. In lingua *Græca* eminent *Boivinius* & *Montfauconius*; in linguis *Orientalibus* Abbas *Longerue*, atque *Renaudotius*, *Arabicam* vero linguam ſpeciatim profitetur *Fourmondus*; & *Syriacam*, *Henrionius*. In Antiquitate Eccleſiaſtica rurſus excellit Abbas *Longerue*, cujus memoriam atque ingenium *Pariſiis* admirantur omnes, qui Virum in omnibus ſcientiarum generibus tantum non ex æquo verſatum, norunt. Ego ex ejus colloquiis me plurimum profeciſſe, gratus agnoſco. In Antiquitate *Eccleſiaſtica*, ut & *Romana* atque *Græca*, laudem porro merentur *Monachi Benedictini*, atque inter hos inprimis ὁ πάνυ, *Montfauconius*, qui hactenus utramque diſſertationis noſtræ paginam fecit; cui adde Clariſſimum *Harduinum*, qui licet de antiquitate iniquiſſime ſentiat, uti ſupra oſtendimus, tamen in ea excolenda diu multumque verſatus eſt. Utrique etiam ex his Viris una cum laudato *Boivinio* maximam Codicum manuſcriptorum notitiam artisque Criticæ peritiam tenent. In *Hiſtoria Literaria* excellit *P. Le Long*, qui & *Hiſtoriam Galliæ* poſſidet. In quo commendari quoque meretur *P. Daniel*, Jeſuita; cui omni jure jungendus P. *Tournemine*, qui vaſta notitia literaria atque eruditione præditus eſt inſigni.

In

In *Theologiæ ſtudio Doctores Sorbonici* adeundi, in quibus laudatus Dn. *Quinotus* unus eſt ex præſtantioribus, qui acerrimum inprimis libertatis Eccleſiæ Gallicanæ defenſorem agit. Inter Philoſophos Diſputatorem ſubtiliorem vix novi D. *Dagumerio*, Rectore Collegii Harcurienſis. In Mathematicis ſuper æthera notus eſt *Varignonius*; in quibus & omnia pene *ſcientiarum Academiæ* Membra egregio cum ſucceſſu verſari videntur; quemadmodum *Academia liberalium* artium atque *Inſcriptionum* in ſtudiis huc pertinentibus excellit. Eruditorum Pariſienſium numero ante aliquot adhuc menſes recte etiam accenſeri potuit celeberrima fœmina, *Daceria*, fatis nuper functa, quæ non minus ſuum ſexum, quam Rempublicam literariam eruditione ſua ornavit. Sed finem dicendi non facerem, ſi plures, qui Pariſiis florent, eruditos enumerare deberem; unum tamen ſilentio præterire non debeo, ſine quo reliquorum numerus ne quidem perfectus foret; puta illuſtriſſimum Abbatem, BIGNONIUM, quem ſua excellentiſſima dona eruditorum, de quibus locutus ſum, Principem, & favor, quo literis literatisque addictus eſt, Muſarum Mæcenatem oſtendunt.

§. 4. Non difficile mihi foret, plurimorum ex laudatiſſimis Viris ſcripta in medium proferre; ſed cum id brevitas inſtituti mei non patiatur, ſolius *Montfauconii* editos libros commemorabo, quia ipſorum catalogum & huic meo libro decori atque ornamento fore, confido. Scripta autem Viri celeberrimi ſe-

cundum temporum ſeriem hoc ordine ſibi invicem ſuccedunt: I. *Analecta Græca* in 4. conſtant aliquot ἀνεκδότοις, quæ cum duobus ſociis abſolvit, Anno 1688. II. *Lettre a Mr. l' Abbé Renaudot* ſur la Préface de Mr. *Jacques Gronovius* au livre de ſon Pere de *Seſtertio* in 12. l'an. 1689. III. *La verité de l' Hiſtoire de Judith* in 12. l'an. 1690. IV. *S. Athanaſii Opera* tribus in folio tomis cum Anecdotis multis, ſocio uſus in principio D. *Jacobo Loppino*, qui paulo poſt inceptum opus obiit; emiſit in lucem Anno 1698. V. *Vindiciæ editionis S. Auguſtini* per Benedictinos in 12. *Romæ* 1699. VI. *Diarium Italicum*, cum figuris in 4. Anno 1702. VII. *Collectio nova Patrum ac Scriptorum Græcorum*, *Euſebii*, *Athanaſii*, & *Coſmæ Ægyptii*, duobus Tomis in fol. Anno 1706. VIII. *Palæographia Græca* ſive de ortu & progreſſu literarum Græcarum, cum figuris, in fol. Anno 1708. IX. *Epiſtola* ad ..... circa Hiſtoriam *Rufini* de pueris ab *Athanaſio* puero baptizatis, eodem circiter tempore, in 8. X. *Le Livre des Therapeutes de Philon, avec une diſſertation pour prouver, qu'ils étoient Chretiens*, publié environ le même tems, in 12. XI. *Réponſe a M. . . . . ſur les Therapeutes de Philon*, environ le même tems, in 12. XII. *Hexaplorum Origenis* quæ ſuperſunt, cum Prolegomenis & Lexico Hebraico itemque Lexico Græco ad Hexapla in fine, duobus in folio Tom. Anno 1713. XIII. *Bibliotheca Coisliniana*, ubi deſcribuntur Græci tantum manuſcripti Codices cum quadraginta circiter anecdotis in fol.

Anno

Anno 1715. XIV. *Joh. Chryſoſt. Opera omnia;* primus & ſecundus Tom. prodierunt Anno 1718. tertius & quartus jam etiam impreſſi ſunt, licet nondum extra Galliam in publicum prodierint, ceteri ſequentur. XV. *Antiquité expliquée & repreſentée en figures en dix volumes in fol. avec beaucoup de figures, l'an 1719.*

§. 5. Cæterum, qui ex conſuetudine cum Eruditis *Pariſienſibus* dignos percipere fructus cupiunt, ipſorum linguam non modo intelligere, ſed loqui etiam tenentur. Non omnes literati amant latine loqui; & præterea tanta eſt pronunciationis in exteris diverſitas, ut difficulter alii alios intelligant. Memini, cum adhuc *Lugduni* in *Gallia* agerem, me aliquando ad actum diſputatorium Philoſophicum in *Collegio Jeſuitarum* invitatum; ubi, cum & ad me forte opponendi ſparta eſſet delata, nonnulla argumenta lubens propoſui. Reſpondens, qui erat ex nobili quadam *Galliæ* familia, iſque eruditus, aures arrigebat, & reliqui Auditores, me latine loquentem audientes, quaſi ex novo orbe ad eos me delapſum putabant; ego viciſſim Reſpondentem, latina verba facientem, ægre intelligebam; atque ita brevi tempore finita erat noſtra diſputatio. Sane mirum quantum ab exteris nationibus differt Latina *Gallorum* pronunciatio, quod idem & de *Anglis* habendum; cujus rei lepidam plane hiſtoriam habemus de *Scaligero*, ad quem cum aliquando *Anglus* quidam veniret, ipſumque Latine alloqueretur, ille putabat, hunc *Anglice*

loqui, eique cito reſpondebat: *Domine, non intelligo Anglica.* Plurimum ergo peregrinantium inprimis intereſt, ut eorum, quorum commercio utuntur, linguam & intelligere, &, quantum in ipſis eſt, loqui addiſcant. *Gallicæ* vero linguæ præcepta dare, nec mei inſtituti eſt, nec officii mei, nec mearum virium. Breviter tantum nonnullos ex præſtantioribus linguæ hujus Magiſtris, qui *Pariſiis* degunt, indicabo. Horum in numero ſunt D. Abbas *Bricius*, qui & *Lutetiam* deſcriptam edidit. D. *Lanceſſerus*, qui *jus Gallicum* quoque callet & docet. D. *Grimareſius*, qui elegantem *Grammaticam Gallicam* tabulis complexus eſt. Ad rudimenta vero ponenda nemo præſtantior eſt D. *Leopoldo*, natione *Germano*, qui inſigni gaudet dono didactico, & præter *Gallicam* linguam, *Italicam* quoque *Pariſiis* docet. Cæterum optimus hic, ut & in reliquis linguis, *Vivis* præcipue, Magiſter eſt uſus

Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.

Cap. VII.

De recto ſtudiorum ſcopo.

§. I.

SI ullibi, certe in Bibliothecarum uſu, valet illud πολυθρύλλητον, *dic cur hic?* Ergo cujuſvis intereſt, ad ſcopum ſuum reſpicere, atque

atque eo omnia prudenter ac ſedulo referre. Qui vago tantum oculo plures libros perluſtrant, quem uſum exinde percipere debeant, ignari, illi intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Præterea tanta eſt rerum diſcendarum multitudo, ut nemo omnibus ex æquo tractandis ſufficiat; quare prudentia cuivis dictitat, ut ea potiſſimum ſeligat, in quibus ſingularis aliquis uſus eſt conſtitutus, & quorum ſtudio, facta ſuarum virium exploratione, ſe parem inveniat. Nam uti non omnis fert omnia tellus: ita nec omnia poſſumus omnes.

§. 2. Hæc tamen non eo capienda ſunt, ac ſi quis ullam ſcientiam ſine multarum aliarum commercio feliciter addiſcere poſſit. Eſt inter diſciplinas, quemadmodum inter mentis noſtræ facultates, quæ iis reſpondent, mutua quædam eaque arctiſſima connexio; ita ut una ex illis inſuper habita, etiam alterius nomen pereat, vel, quæ relinquitur ſuperficies, in proletariam potius atque confuſam, quam ſolidam eruditionem evaleſcat. Exemplum de ſtudio Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſupra a me allatum id ſatis clare oſtendit. Servandus ergo eſt certus ſtudiorum ordo atque nexus, poſitisque fundamentis ab inferioribus ad ſuperiora progrediendum; eaque, quæ natura ſua invicem conjuncta ſunt, nunquam temere debent ſeparari.

§. 3. Scopus ultimus & ſupremus omnium ſtudiorum atque actionum humanarum eſt gloria Dei. Et in cujus honorem rectius o-

mnia referuntur, quam illius, qui omnem ſapientiam hominibus tribuit; qui ipſe eſt ſola eaque vera ſapientia: & in quem omnia dona, quemadmodum rivuli in mare, ſua natura redeunt? Hunc finem qui ſubinde ante oculos habent, facile illum alterum, qui eſt utilitas proximi, obſervabunt. Hominibus enim propter Deum, non Deo propter homines ſerviendum. Secus qui faciunt, transgrediuntur limites a ſapientiſſimo Creatore poſitos, eorumque fines ſpurii ſunt, qui & optimas virtutes in ſplendida ſcelera commutant. Stet ergo firmo talo RELIGIO, ſine qua nulla vera inter homines Societas: Socialitati autem quilibet, quantum fert virium conditio, ſervire ſtudeat, quia hac neglecta nec Religioni locus, qua nullum homini a Deo datum eſt donum præſtabilius.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX.

AD verba pag. 24. lin. 12. *Hic turpiter confundit*, &c. ulterius notandum, quod ille locus *Theodori Bezæ*, quem ex eo allegat *Morinus*, non inveniatur in editione Pariſienſi Nov. Teſt. ab eo parata; neque in ulla facile extat, niſi in editione *Cantabrigienſi*, quæ prodiit An. 1642. At cum ipſe *Theodorus Beza* in fronte hujus Codicis, qui 4. Evangelia & Acta Apoſtolorum complectitur, quemque Univerſitati Cantabrigienſi dono miſit, ſua manu annotarit, ſe ipſum ex Monaſterio S. *Irenæi*, quod *Lugduni* eſt, accepiſſe, facile adducor, ut credam, non tam *Theodori Bezæ*, quam alius cujusdam incuriæ imputandum, quod in edit. Cantabrigienſi Codex ille 4. Evangeliorum & Act. Apoſtolicorum *Claromontanus* audit, cum hoc nomen tamen nonniſi in noſtrum Regium Pariſienſem, qui Epiſtolas Pauli complectitur, cadat; nec alium, niſi hunc, *Theodorus Beza* in omnibus aliis locis iſto nomine intellexerit. Facilis autem Codicum iſtorum confuſio fieri potuit, quia *Claromontanus* a plurimis pro *Lugdunenſis Codicis* altera parte habebatur.

Ad. p. 26. l. 29. *Ea tantum loca excerpſiſſe &c.* En propria *Morini* verba in Exerc. *de Hebræi & Græci Textus ſinceritate* p. 47. 48. *Ex variis illis Græcis lectionibus eas* TANTUM *referemus, quæ vulgatæ verſionis textum, ubi a vulgato & excuſo Græco textu differt, confirmant; cæteras, quæ a Latino textu . . . . diſſentiunt,* PRÆTERMITTIMUS. Egregiam vero *Morini* fidem ac ſinceritatem!

Ad. pag. 28. l. 7. *Hujus emendationes Clemens VIII. caſtigavit.* Hic illud adhuc obſervare juvat, quod *Sixtus V.* cum ſuam translationem Anno 1590. ederet, diriſſimum anathematis fulmen in eos intentarit, qui *quoquomodo* intra decennium ſacræ Scripturæ novam translationem edere, nedum priorem mutare, auderent. Atqui *Clemens VIII.* duobus annis poſt, nempe An. 1592. ſuam edidit; & quantum hic datum fuerit mutationibus, rerum peritioribus optime conſtat. Conferri hic meretur *Bellum Papale*, quod primum prodiit Lond. Anno 1606. Auctore *Thoma Jameſio.*

Ad. p. 32. l. 10. *Concilii Tridentini, jubentis.* Ad hæc verba in loco citato potiſſimum reſpicio. Diſputatio de auctoritate Epiſtolæ Joan. deque authentia celebris loci, *Tres ſunt, qui teſtantur* &c. ad præſens inſtitutum non pertinet.

Ad. p. 34. l. 1. *Contra Proteſtantes, qui rejiciunt vulgatam:* Hæc verba, abſolute ita poſita, vera non ſunt: quia in collatione Variantium Scripturæ Codicum ſuus quoque vulgatæ Verſioni, *Hieronymianæ* præcipue, locus

a Pro-

a Proteſtantibus relinquitur. Rejiciunt autem illi auctoritatem Vulgatæ, ſenſu a Pontificiis recepto, & in eo recte ipſos agere, plures rationes confirmant, quarum & nonnullas ſuo loco allegavimus.

Ad. p. 35. hic notandum, quod poſt §. 19. in plurimis exemplaribus ordo paragraphorum turbatus fuerit; errorem ſerio obſervatum, in quibusdam exemplaribus correximus, & in iis, ubi id non amplius integrum fuit, lectoris benevolentiæ nos permittimus.

Ad. p. 37. l. 3. *Talem communem Eccleſiæ verſionem unquam extitiſſe* &c. Fuerit ergo verſio *Italica*, quam multorum inveterata opinione atque teſtimonio niti, bene ſcio; verum num ante *Hieronymi* translationem, alia eaque *communis* atque *Univerſalis* in Eccleſia Latina locum obtinuerit, plures ſunt dubitandi rationes; primo, quia *Hieronymus*, cum ad verſionem ſuam exarandam a *Damaſo* Papa induceretur, ei tanquam difficultatem aliquam opponebat, *tot eſſe pene translationes, quot Codices.* Secundo, quia *Auguſtinus*, quemlibet vel mediocriter Græce peritum, verſionem aliquam pro lubitu ſuo conficere, aſſeverat. Tertio quia Patres Latini, uti ſuo loco obſervavimus, textum Græcum latine reddere pro arbitrio ſuo ſæpiſſime conſueverant. Dices: potuit noſter Codex ex alia verſione transferri, quæ nec *Italica* erat, nec *Hieronymi*. Ita quidem vult Clariſſimus *Dupinius*: qui tamen in eo non ſatis ſibi conſtat: modo enim hunc Codicem ab una ex pluribus antiquis verſionibus, modo

κατ' ἐξοχὴν ab *antiqua vulgata Latina* tranſſumtum dicit; vid. Diſſ. præl. de la Bible Tom. II. pag. 77. utrumque exinde falſitatis arguitur 1. quia in hoc Codice inſignis Latinæ verſionis cum Græco Textu conformitas eſt; 2. quia ſecundum *Dupinium*, in quo & ejus ſententiæ lubens accedo, hic Codex poſt *Hieronymi* verſionem exaratus eſt. Jam ſi Latinus hunc Codicem confeciſſet, ſine dubio hanc potius, quippe quæ univerſali auctoritate in Eccleſia recepta erat, quam aliam antiquiorem ſibi imitandam præſcripſiſſet, atqui ab *Hieronymi* verſione in quamplurimis locis iſte Codex diſcedit. Quod mutationes atque additiones, quæ hinc inde in hoc Codice conſpiciuntur, attinet, illis plane non probatur, hunc Codicem ab Auctore Latino confectum, tum quia tales in aliis quoque Codicibus Græcis vel Græco-Latinis deprehenduntur, tum quia illæ non a prima ſed ſecunda manu appoſitæ ſunt. Ad argumentum vero Clariſſ. Viri, a mendis petitum, jam ſupra reſpondimus. Cæterum id mirandum plane, quod Cl. *Dupinius* hunc Græcum N.T. Codicem ex latina quadam verſione primo confectum afferat, cujus nullum hic veſtigium, nec alibi exemplum, apparet.

Ad.pag. 45. lin. 9. *De lana caprina.* Hæc in comparatione ad librum *Optati Galli* dicta ſunto, quem pro *Chimæra* tractabant omnes, qui magno conatu eum refutare videbantur. Digna ſunt verba Auctoris Bibl. Crit. Tom. II. pag. 352. de iſto *Optato Gallo* pronunciata, quæ hic apponantur: *mais que pouvoit on attendre*

d' un

d'un predicateur outré & ſans jugement, & même d'un homme, qui agiſſoit par des motifs de paſſion & d'interet, que des diſcours emportés? Cæterum Schiſmata cavere per ſe tam honeſtum eſt atque legitimum, quam ea machinari impium atque Eccleſiæ funeſtum.

Ad. pag. 79. lin. 26. *Aliquot annis præceſſerunt:* hoc oſtendit Chevillierius in Typogr. Parienſis hiſtoria, ſæpius a nobis citata.

Ad. p. 168. l. 11. *Critica itaque eſt ars dextre interpretandi* &c. vocabulo *interpretandi* hic in latiori ſignificatu utimur, uti ex verborum explicatione apparet.

Ad. p. 174. *Uſſerium* & *Dodwellum*, utroſque *Hibernos*, Anglis annumeravimus, quemadmodum *Argentoratenſes* hodie, licet in *Alſatia* nati, inter Gallos reputantur, ſub quorum Regis ditione vivunt. Qui autem hic moroſi eſſe volunt, his lubentes cedemus. Erravimus vero, dum *Scaligerum* inter *Batavos* numeravimus, qui natione *Gallus* erat! occaſionem errandi nobis præbuit, quod bene nobis conſtitit, *Scaligerum* Batavorum Eruditorum familiari commercio uſum; & haud ita pridem ex quodam meorum Amicorum audivi, ipſum ab *Academiæ Leidenſis curatoribus* olim in *Bataviam* vocatum.

Ad. p. 181. l. 6. *Ipſius ergo erat Baluzii rationes deſtruere* &c. atqui ipſi diximus, p. 179. Clar. *Nourrium* ad *nonnulla Baluzii* argumenta recte reſpondere; diximus utique; ſed NB. ad *nonnulla*, hoc vero non meliorem reddit ipſius cauſam; primo quia ipſius erat omnes Clariſſimi

mi *Baluzii* rationes deſtruere, & ſecundo pro ſua ſententia meliores atque certiores proponere, quod utique non factum.

Ad. p. 182. l. 5. 6. *Illos autem Cœcilios*, quos nobis hic opponit, & *Lucios* dictos fuiſſe, *&c.* Dices: quid tum? ſi ita dicti fuiſſent; cum & *Luciorum* nomen vagum ſit, incertum, atque univerſale? Verum hic illud notandum, quod hæc *Lucii Cœcilii* nomina ideo a Clar. *Nourrio* ſeparari noluerimus, quia in quibusdam, ut ſuo loco monitum, Codicibus illa *Firmiano Lactantio* vere adſcribuntur.

Ad. not. pag. 182. l. 1. *In Bibliotheca Vaticana* &c. obſerva, quod hic codex olim ibi extiterit; ſed hodie in Bibliotheca Regia Pariſienſi invenitur; eſtque hic Codex, quantum ſcimus, ille unicus, in quo iſte error deprehenditur.

RESTANT nonnulla levioris utplurimum momenti errata, quæ partim mea, partim aliorum incuria irrepſerunt, eaque ita corrigi velim. pag. 4. lin. 28. lege 1470. pag. 5. l. 14. pro *traducendi* lege *Gallice transferendi.* pag. 30. l. 28. 29. lege *a præſenti Codice noſtro in his, quemadmodum* &c. p. 32. l. 1. pro *cum*, lege *a.*

1361
3,5
2e Camp. Soc
no 91